STEPH. ANTONII MORCELLI

SERMONVM

LIBRI II.

ITERATAE EDITIONIS
ET AVCTAE

BRIXIAE
EX OFFICINA BETTONIANA
ANNO M. DCCC. XVII.



ABVNDIO· AVR· F· REZZONICO

SENATORI VRBIS

CVLTORI VINDICIQVE

ARTIVM OPTIMARVM

Tantillus liber est meus, levique
Vix lima et tenui politus arte:
Nec tamen tibi quispiam disertus,
Magne o REZZONICE*, explicare possit,*
Quamdiu domino suo molestus

Et quantum fuerit, sibi ut potestas
Per doctas fieret manus eundi,
Vt fratri data nuper est utrique.
Nam fecit stilus impudentiorem,
Dum notam vitiis libens inurit,
Immunem et fore se notae arbitratur.
Hinc mirere minus, puto, quod ausus
Tarpejum modo cogitare clivum,
Istuc repserit ad tuos penates,
Hoc ultro sibi ut ipse postularet,
Honori et meritis tuis dicari:
Tu quamquam pater elegantiarum
Audis, nec rude quid tibi placere
Incomptumve queat. bonum volentem
Nam scit te domino suo favere:
Nec stulte decus autumat perenne,
Et famam populos apud potentes
A tuo sibi nomine adfuturam.

Tecum quippe vias inire longas
Fas sperat sibi ad ultimos Britannos,
Et septem prope qua nitent triones:
Fas et regificas videre moles,
Quas nunc Sarmaticis potens in oris
Educit Katharine, amica musis,
Et nata imperio beare regna.
Atqui ego improbulum, domi ut lateret,
Bis terque admonui, abdidique in arca:
Nequicquam; domini sigilla fregit,
Tecto et prosiliens, ad officinam
Recta se retulit Giunchianam:
Charta uti nivea elegantibusque
Pulcher inciperet nitere formis.
Quid nunc, si potuit tuum subire
Limen, et pluteis locatus altis
Me ridet, revocem aut querar receptum?
Odisse hunc nequeo, domi quod idem

Ait se modo tertium extitisse.
Quare hunc tu bonus atque me tuere,
Qua soles trepidos benignitate;
Nec si nomine sub tuo vigemus,
Tanto te pigeat juvare honore:
Nam laus tota tua est, favore famam
Obscuris dare rebus, atque dona
Plus uno tua prorogare saeclo.

PROOEMIVM

SVNT hodie, qui clament, versuum jamdiu nimis magnam copiam exstare, bonorum etiam, ne dum malorum. his nempe tot poëtarum libelli, qui omnium teruntur manibus, caussa esse videntur, quare nunc plerique severiores litteras minus ament. quibus equidem neque omnino favere possum, neque plane adversari audeo. multa enim multi in utramque partem afferre solent; ut quae versibus quidam et poësi vitio vertant, inertiae alii et voluptatum illecebris tribuendum existiment. sed tamen si ad Latinos quoque versus ea querela pertinet, hoc utique contendo, non si ceterorum generum nimis jam multa sint carmina, ejus quoque plura, quam opus sit, nos habere, quod Horatius excoluit, et Sermones appellavit. mitto, haec in ea philosophiae parte pertractanda fere ver-

sari, quam vel ridendo a compluribus tradi, omniumque animis inculcari perutile sit: certe adeo pauca hactenus accepimus, ut, si carminibus ejusmodi locus pro portione tribuendus sit, pluribus omnino vacare videatur. nam ex Italis hominibus, qui hanc poëticae partem adamarint, et Horatium imitari studuerint, duos tresve, qui potissimum commemorandi sint, superioribus temporibus floruisse comperies, Lazarum, opinor, Bonamicum, Ioannemque Casam, quibus Aonius ille Palearius vix addi potest: nam is quidem genus hoc delibavit potius, quam coluit: ut excellere magis potuisse, quam voluisse dicendus sit. amborum illorum plura exstant, Bonamici in primis, eaque egregia plane atque compta. ceteri autem, qui se ad satyras conscribendas contulerunt, Iuvenalis fere clamores et scurriles jocos sequuti, ac libertate illa et licentia prope militari delectati, pedestrem Horatii sermonem et urbanos sales antiquamque festivitatem posthabuerunt.

Porro ne de istorum quidem consilio delectuque ego disputo, qui fautores habent suos, habebuntque, quamdiu hominum studia sen-

tentiaeque inter se discrepabunt. sed veniam tamen mihi dari postulo, si quid ipse etiam tot aliorum carminibus addere ausus sim: quum de uno illo genere augendo cogitarim, in quo tam pauci ingenium exercuerunt; eaque tantum, quae ad Horatii normam perscripta domi premerem, in lucem hominum prodire passus sim. nimirum quia vitae anteactae ratio institutioque ferebat, ut versus etiam scribendi identidem mihi essent, factum erat annorum multorum spatio, ut chartarum mearum fasciculos versuum quoque numerus non exiguus augeret. atque eam nuper congeriem satis variam quum excuterem scrutarerque, ut alia demum igni traderem, quaedam pueris donarem, nonnulla etiam, si digna viderentur, seponerem; Sermones ad manus venerunt, quos, ut res poscebat, diversis temporibus plures confeceram. et erant praeterea aliquot, quos duodecenni isto otio officii ratio aut tempora ipsa expressissent. enimvero quum relegere instituissem, quod sua quisque facile probat, sic amare coepi, ut non tam rejiciendos, quam comendos esse judicarem. quumque laborem hunc, qui nec magnus nec

molestus esse posset, in autumnum et Tiburtinum secessum reservassem; otium denique nactus, effeci non multis diebus, ut in eam formam redigerentur, qua nunc eduntur.

Ceterum erat edendi alia quoque caussa: propterea scilicet, quod ex horum numero sex jam in publicum, nec sine aliqua laude prodiissent. nam quartus quidem libri primi Brixiae vulgatus fuerat, quum illic eruditi viri Praesidem pientissimum magistratu optime gesto decedentem laudum suarum praeconio prosequerentur. quintum vero libellus jam praeferebat Romae editus, quem, curriculo philosophiae confecto, disputandi gratia adolescens lectissimus Iacobus Lollius Tibure proposuerat. octavum Brixiae item jamdiu emiserant Comites spectatissimi Fagliae fratres, quum honoris officiique caussa Ludovici Maleguzzi v. c. et Clarae Sagredae c. f. nuptias versibus celebrarent. jam sextum libri secundi ipse vulgaveram initio ejus operis, quod de stilo inscriptionum Latinarum quatuor abhinc annis publicavi: septimum autem praeposueram libro inscriptionum mearum, qui subinde in manus hominum venit: ultimum

denique ediderant scriptores Ephemeridis Pisanae, ad quos amicus, credo, meus Roma submiserat. quapropter hoc jam et ceteris dandum videbatur, ut publica omnes luce et pari honore fruerentur.

Hos demum, quod ad me attinet, neque cuique obtrudo, neque utiles singulis aut jocundos fore spondeo. vobis tantum me scripsisse profiteor, quibus Latinae sapiunt musae, ut per otium legatis; et si quid recte a me prolatum sit, probetis, si quid utiliter, in rem vestram derivare possitis: quae contra neque accurate tractata, neque diligenter expolita inveneritis, ea jure quodam vestro rejiciatis.

LIBER PRIMVS

SERMO I·

DE IMMORTALITATE ANIMORVM

AD

DOMINICVM NARDINVM

D· N· PII· VI· PONT· MAX· SCRIBAM

AB EPIST· LATIN·

Docte pater, juris facunde interpres et aequi,
Nardine, ingentis te jam post praemia laudis
Clamoso emersisse foro ac civilibus undis,
Omnis amicorum gaudet chorus: et mage sacro
Te quod semoti domus alta in colle Quirini
Iam capit, ipse animi dignum cui condita credat
Sensa Pivs, facili possis quae scribere vena:
Quemve sibi cupide comitem legat, ardua rerum
Dum volvit, magni visurus Caesaris aulam.
Inde tuae testem fidei sanctique pudoris
Esse Pivm nae quisque intelligit, optimus unus
Qui mores hominum dijudicat, ingeniumque,
Et sola capitur virtute, impervius arti.

Sed neque partus honor meliorem reddere possit
Ipsum animum, nec qua splendes nunc, purpura quidquam
Virtuti adjecit: nulla quae fulgida palla
Incedit, nulloque decus sibi quaerit ab ostro.
Ergo nihil crevisse tibi nunc jure videris,
Et comis facilisque tuis occurris amicis,
Nec minus ignotis: angusta fronte severum
Nulla supercilium nubes tegit; addita censes,
Non detracta tibi sanctarum vincula legum.
Saepe etiam subit, haec levia ut sint atque caduca,
Quae populus stulte miratur; vitaque vento
Dum fugit haud impar, medio ut subversa repente
Concidat in cursu, optatos ferat alter honores.
Quippe memor, nos perpetuo felicior aevo
Quae maneat vita, aeternis et quot bona saeclis
Virtuti reddat summi regnator olympi;
Iamdudum infandos ausus commentaque temnis
Impia, vesanus scriptorum quae furor atque
Impunis retulit libertas: quando animorum
Ausi aevum statuisse unum cum corpore, eandem
Esse animo vitae metam membrisque sepulcrum,
Et genus his unum tribuere et originis unam
Naturam, ut duplex signet res nomen easdem.
Ac merito hellebori pars his, te judice, danda est

Maxima, quos tantum verset dementia, nil ut
Ortum animum terra pudeat coenoque fateri,
Cui Deus ipse auctor, cui sit caelestis origo.
Quamquam equidem ignavi pecoris qui vivere ritu
Instituere, animi haud miror si displicet ista
Nobilitas, turpes quae detestatur amores,
Et foedo illimis metuit sordescere coeno.
Cetera si corpus, sive esset corporis ille
Pars aliqua, anne minus potuque esuque vigeret,
Quam larga corpus dape pascitur, udaque vino
Membra valent? multo quin et sapientior esset,
Quum lautae mensae, quum sunt convivia longa.
Qui tamen his mage languet hebes, nec corpore onusto
Expromit vires: vento at pernicior idem
Alta petit, freni impatiens, atque omnia lustrat
Trans mare, trans caelum, membris ubi copia desit,
Et tenui victu jejunum corpus alatur.
Namque alia et virtus huic nutrimenta jugesque
Dant curae, et justi vehemens pulcrique cupido.
His alitur, viget his, et corporis usque recusat
Imperium liber, quum vult, ac vincula rumpit.
Sed studium quaeso quo pertinet istud, amorque
Ille boni; vel quis tantos huic indidit ausus,
Exiguo si vita omnis concluditur aevo,

Conatusque pios mors excipit interitusque?
Heu longe infelix hominum genus, ultima vitae
Omnia si secum lux aufert! nam pecudes quod
Sponte petunt cupiuntque boni, plerumque parentis
Munere naturae inveniunt, et roscida pratis
Pabula delibant: concessa fas venere uti,
Et somno ludoque et pura fluminis unda.
Ast animus vitae duros post mille labores,
Dum cupide caelum affectat, fontemque requirit,
Vnde bonum faustis possit sibi sumere votis;
In tenues abeat ventos, speque excidat omni,
Et vita et rerum numero simul atque virorum.
Iam tibi virtutem a prima coluisse juventa,
Et puram foedo servasse a crimine mentem
Nil juvet; ac multo sit nempe beatior ille,
Iura sibi qui nata negaverit, ausus honorem
Per caedes petiisse, opibus graecari alienis,
Et thalamos violare, nec ullis parcere sacris.
Anne Deum tales homini praescribere leges
Crediderim, stimulosve animis illum addere et alas,
Extremo mendax ut cursu ludat hiantes,
Et quae proposuit, thesauris dona recondat?
Haud hic donando fit pauper, ditat egentes
Largus opum, et nullos patitur periisse labores,

Nos simul ac sancta defunctos sede recepit.
Nam varios reditus et somnia Pythagorea
Quid morer: Europae non si rex forte Asiaeque
Fias, optatam regis fortuna quietem
Attulerit, curis vel possit ponere finem,
Quem sibi mens spondet. reges quoque cura remordet,
Et morbi vexant, et mors inopina peremit.
Aeternas animus sedes, aeternaque poscit
Gaudia, quae petiit: vanam ridetque ruinam
Conscius invictae virtutis, partibus unus
Quod nullis, nexu caret omni, externa resolvat
Quem vis, dividuas in res cui sola potestas.
Nam pater ille hominum, cujus de munere vita est,
Cuncta licet rerum solus quia condidit auctor,
Omnia divino subvertere numine possit;
Haud tamen hoc animis metuendum, lege per omnes
Vulgata gentes, aevum sperare perenne
Quas jussit: vitae nec solum puriter actae
Praemia laturas monuit; verum et scelus omne
Vitare, et tristes docuit post crimina poenas,
Quas repetet justus contempto numine judex.
Haec laetos inter plausus meminisse juvabit:
Haec poterunt duros animi lenire dolores,
Quos virtus perferre jubet. curare beatae

Mitte urbis fumum strepitumque, memor brevis aevi:
Nec tu quaesieris, quas cogitet invida turba,
Aut struat insidias. meritos si demat honores,
Demat opes, docti et nomen famamque diserti,
Atque domum et patriam; tuta est tibi vita beatos
Inter caelicolas: invito hanc demere nulla
Vis queat; hanc specta, regnum ceu junior heres,
Cui sceptrum referet lustro vertente juventa.

SERMO II·

DE TRANQVILLITATE VITAE

AD

IANVARIVM SANCHEZIVM

LVNEN· ARAGON·

SODALEM VETEREM

Dura olim expertum, Sanchezi maxime, forti
Vsque animo, rursus constantem fors mala vexat,
Si pote virtutem tibi demere: fratre perempto,
Quae gravis ingenti nuper te perculit ictu,
Atque urget gravior, rapto de fratre dolentem
Insolabiliter. columen quippe ille nepotum,
Ille domus atque urbis erat decus: artibus idem
Consiliisque potens, ac bello invictus et armis,
Sed major pietate. tibi nec caussa doloris
Iustior ulla fuit: verum sapientia certos
Moerori posuit fines, transcurrere culpa
Quos sine non possit sapiens; quem leniter aevum
Traduxisse decet, pacato ut tempora lapsu
Fluminis instar eant, nullis obnoxia curis.

Nec, bene si novi, virtutem serus avitam
Amplexus, nescis quid te tibi reddat amicum,
Quid pure tranquillet: sed mens anxia leges
Negligit; abripiturque suo haud invita dolore.
Ergo animum obnixus mitescere, et apta jubeto
Haec placidum positis praecepta haurire querelis.
Perpetuum primo nobis natura nihil quum
Esse velit, nihil et certo det foedere, cur nos
Omnia mansuris data legibus, omnia nostra
Mancipio, falsi, non solo ducimus usu?
Hinc minuat si quid fors imperiosa, bonis ceu
Exsuti propriis moeremus: quae sua contra
Non censet sapiens, sibi nec subrepta; alieno
Quum sciat arbitrio certum concessa dierum
In numerum: hoc multis felicior unus, in illum
Manca quod usque ruat fortuna; beatior idem,
Si favet, imbelli quia tentat gloria flatu,
Nec res plus nimio delectavere secundae.
Quid, quod mortales debemus nos quoque morti?
An sua fors homini, nullo mutabilis aevo,
Si daret, haec subito tibi quum linquenda tumultu,
Forte dies trepidanti ubicumque illuxerit ater;
Sanus ames, hominum vel digna rearis amore?
Iam quae te possit façere et servare beatum,

Res alia est nil admirari: magna putantur
Quae vulgo et decoris plena, his quandoque potiri
Si cui contingat, laevo mox tempore ponet
Invitus: vel si frustra speraverit, idem
Invidia exclusus torquebitur, alter honorem
Quod tulerit, merito inferior, nec dignus habere.
Alfonsi haec virtus fratris, laus haec fuit olim
Magna viri: plausus et amici dona popelli,
Muneraque et patriae trabeas et regis honores
Qualis spectabat! quo sensu accepit et ore,
Nil cupiens metuensque? polo nunc aureus alto
Qui tandem studio miratur digna, Deoque
Securus fruitur. vanos insignia fasces
Nos hic et titulos, argentum aut aeraque et artes
Suspicimus: picta Sanci stupet ille tabella,
Hic veteri torpet signo, gemmaeve nitore:
Omnia quae seris tradenda nepotibus heres
Iam sibi deposcit vel creditor, ultimus aeris
Qui pretium veteris fraudatus parte reportat.
Multa tibi vitae jam dempta incommoda, pravus
Si premat immotum frustra vexetque cupido:
Mox etiam ex omni dicemus parte beatum,
Stulta nihil populi si te convicia laedant,
Nec cures, fricti ciceris quid sentiat emptor,

Aut mulier, raro quae moribus aequa sophorum.
Prava, vide 'n, miserum facit ut sollertia quemdam,
Anxius in speciem qui se componit honestam,
Et nulli simplex ostenditur? adsiduus nam
Hunc labor atque ingens exercet cura, remissa
Ne quis persona incautum deprendat, et alter
Incipiat populo jam, quam velit ipse, videri.
Heus? quanto hic vivat melius, labemque notamque
Si demat vitii: virtus quod celet, habet nil,
Et propriis contenta opibus formaque renidet:
Deme aurum, illota procedat sordida veste,
Non illi speciem detraxeris. ut tibi Menas
Hic senior templi ad valvas qui de stipe vivit,
Et donata sibi, victum si forte diurnum
Exsuperant, sociis laetus partitur egenis,
Non quia pannosus, caput et porrigine foedus,
Idcirco turpes inter videatur, habendus
Pravorum et numero: rectis quum moribus idem
Excellat, sceleris purus, parvoque beatus.
At multis nihil est, nisi nomen inutile, virtus:
Pars etiam nomen demens contemnit et odit.
Dum genus ergo hominum ruit in scelus, unus habendi
Regnat amor, vulgoque dolis peccatur et ira;
Vir probus an lacrimis parcat, placidusque cruentam

Adspiciat cladem? non si Democritus olim
Haec vanus risit, sapientior Heraclitus
Contra deflebat: lacrimis, quando mala, risu
Sive levi neuter purgato depulit orbe.
Queis datur imperio quid posse et divite censu,
Hos deceat vitiis fortes obstare, pericla
Arcere a miseris, viduas defendere et orbos,
Huic opibus, verbis huic consiliisque mederi.
Non possis, quantum cupias? voluisse juvabit:
Ipsa tibi et merces fuerit vel maxima virtus.
Nos, quibus exiguae vires, nec credita legum
Doctrinaeve fuit custodia, supplice dextra
Imploremus opem superûm, prece numinis iram,
Vt fas, et meritas conemur flectere poenas.
Forsitan et precibus Deus alto ex aethere nostris
Placatus veniam, ac faustam mortalibus aegris
Det pacem, mores dein virtutemque reducat.
Relligio in primis animum tranquillat, et acres
Obtundit stimulos: vitam si puriter actam,
Et possis annos laetus meminisse priores.
Proximus ille queat traducere leniter aevum,
Qui caput expediit laqueis, et frena recepit
Mature sanus; commissa piacula fletu
Si luit, et lacrimis pacem exoravit obortis.

At tibi quid voveam majus, quam ut vivere vitae
Quod superest, fratris contingat more modoque,
Curarum experti! magno jam parta labore
Te pax virtutis sequitur comes, actaque vita
Exemit populi e numero, et caelestibus aequat.
Sed te quod dulci patriae pertentat amore
Parthenope, et longo reducem post tempore tota
Te domus et veterum senior jam turba videre
Gestit amicorum; cupide haec spectare caveto,
Consilio sapiens. mutato haud patria caelo
Curam animo demat. bene vivere quod petis, hic est,
Est Norbae atque Corae, virtus si pone sequatur.

SERMO III.

DE COMMODIS RELEGATAE AMBITIONIS

AD

DOMINICVM GVIDIVM

SODALEM VETEREM

Nempe rogant, Guidi, me, candide, mag   potentum
Limina quum pateant, nec, quae nunc atria servat,
Accessum fors intercluserit; unus inerti
Cur piger ingenio desim mihi, nec procerum me
Gratia, promissi nec spes pertentet honoris?
Tot neque regificae videar compendia mensae
Curare, aurato nec lata petorrita curru?
Ipse domi solitus parvo cenare catino,
Et pedibus totam lustrare madentibus urbem.
Atqui judicio quoque nostro haud ultima laus est
Principibus placuisse viris: sed commoda laudem
Non aequant, vitae quae dent mihi leniter aevum
Ducere, et immunem vitii potioribus uti.
Nam tibi, si pateris, cuncta edam, doctus utrumque
Qui vitae genus, et mores agnoveris urbis:

Ac potes in magna versari commodus aula,
Atque idem ad nostras laetus remeare latebras,
Unus paucorum: quum cetera turba beatae
Propositum vitae remis hodie atque quadrigis
Urgeat, et pluris raro probet utile dulci.
In primis dominum liber perferre velim si,
Et sacram itare domum non importunus, habenda est
Horarum ratio, nostris quae discrepat horis,
Invertitque diem: clausis namque ille fenestris
Stertit adhuc, quartam pluteo dum fessus in horam
Adsideo, elixumque domi jam fumat omasum.
Adde per aestatem quod tum prodire necesse est,
Quum medium emensus sol ardentissimus orbem
Infantes findit statuas, mihi plurimus imos
Ad talos manat scapulis et vertice sudor.
Quid memorem nitidi sit quanta molestia cultus?
Namque lacerna domi male pexa, et trita relinqui
Cum soleis tunica atque ocreis vult: Gallica quippe
Inducenda toga est brevis aptaque, pone flagellet
Serica quam ludens curtato penula limbo.
Quin hesterna minus quia forte subucula candet,
Altera opus Batavo promatur candida prelo,
Et focale simul, manicae, sudaria: quando
Singula nobilitas notat haec, et munda requirit.

Nec satis: in suris nisi Gallica, finibus atque
Ocrea Taurinis quae venit, nulla probetur,
Nec nigra in pedibus, nisi calceus urat, aluta.
Quid si me domino objiciam furvo hispidus ore!
I puer, et citus huc tonsorem accerse: dies nam
Haud status hic, memini, quo barbam tondeat, illum et
Nequicquam opperiar: strenam sperare jubeto.
Officiosus adest, quod rarum, mentaque rursum
Detondet raditque manus mollissima. comptos
Iam semel et Cyprii crines de pulvere farris
Adspersisse decet, pago venisse Sabino
Rusticus, aut Volsco videar ne rure sacerdos.
Prodimus tandem, priscis de rebus adesse
Iussi in consilium. summa ad cenacula postquam
Venimus, exiguam dominum velarius horae
Particulam sibi poscere ait, veniamque rogare,
Quod matutinus surgentem oppresserit hospes.
Tota abit hora, peritque incommoda, nullius usu.
Sed tandem admissus subeo penetralia, quaeque
Officium poscit, praefatus consideo: rem
Et doceor caussamque domo quae arcesserit. omnem
Verbis, ut video, paucis componere litem
Perfacile est. verum musea obeunda, coëmptis
Quae nummis modo vel signis crevere vetustis.

Dum teritur signum, pretium dum dicitur aeri,
Et nummi facies laudo, fideique notatos
Sublestae quosdam, nonnullos arte recusos
Ostendo, argenti levis et quos bractea texit;
Iam sonat aes templorum, dimidiumque diei
Admonet exactum. discedere ego, et mea vincla
Excusare, domum quod structa ad prandia curram.
At dominus, nostrae imo a nona accumbere mensae
Ne grave sit, malo hic acipenseris ilia libes.
Hoc est, quod multi invideant, et sorte beatus
Queis videar propior caelum contingere: sed me
Nil angit cruciatque magis. nam mitte, quod aegre
Qui matutino surgit cum sole, morantem
Ad nonam talis stat rectus, vel dapis ullum
Iam languente diu stomacho, praesentit amorem:
Vt ventum ad mensam est, oculis multa atque palato
Grata vides, intervallis digesta per orbem
Aequatis, lances majores atque minores.
Haud tamen hic quae semper sederit esca, volenti,
Quod satis est, edisse datur: structoris edendum
Arbitrio, in partes circum quod diribet aequas,
Assaque miscenda elixis, ficedula rhombo,
Et Lugdunenses quidquid docuere culinae.
Quae simul in vacuo fervent male condita ventre,

Languet hebes mentis vis, et dum corpus onustum est,
Deficiunt lenti praescripta ad munia sensus.
Sed pedes elabi si possem, ac Tibridis ire
Praeter aquas trans Flaminiam, vel scandere collem
Romuleum, vitii partem excussisse daretur.
At domini officiis perimor; nam tollere rheda
Convivam mos, et mediam vectare per urbem.
Provehimur taciti, aut nugas jactamus ineptas
Id genus, hesterna Notus est jam mitior aura:
Triticea potior fertur vindemia messe:
Caussa tabellarem Tuscum non nulla retardat;
Et quae prima satur, quando oscitat, obvia captat.
Occiduo tandem nox sole revertitur, et jam
Flectit equos Veneti ad notas auriga tabernas,
Nocturnis stabulatur ubi grex garrulus horis.
Proluimur gelida; pleno namque apta putatur
Haec stomacho medicina, onus ut trahat omne deorsum.
Hinc tandem optatas exponor liber ad aedes
Redditus ipse mihi, cavea ut dimissa volucris,
Aut canis, ablato saliens qui fune revixit.
Nil bona nam sapiunt, quae non optaveris ipse;
Et libertatis tota est erepta voluptas,
Quandocumque dies alieno vivere more
Ingeniove jubes. promissa cibaria Festus,

Speratosque ferat tandem Macrinus honores:
Haud tanti haec, nisi stultus, emam; contentus et illis,
Quae mihi sors dederit, vitam traducere possum
Et curis vacuam et prava ambitione carentem.
Non ego palpari cuiquam, majoraque veris,
Quae non fert animus, cogar defendere, turpe
Pronus in obsequium, domini ne gratia nutet,
Aut prima abrumpam texendae stamina telae.
Nec metuam, ficto ne me adversarius ore
Invidus evertat, vel primum affectet honorem.
Hora diesque fluet mea tota, impendere amicis,
Si libet, aut ludo quam fas studiisve colendis,
Post data quam justis fuerit pars optima sacris,
Et summum precibus placatum et carmine numen.
Vtilis alterius mea quando rebus opella
Esse queat, nostras supplex orator ad aedes
Mittetur primus: nec, si me opus ire vocatum,
Intempestivus videar venisse, repulsam
Aut referam, quali non belle est Valla notatus
Aemiliusque senex cum Casca Parthenopeo,
Ridiculi primos procerum sibi dicere amicos.
Iam neque postico mihi sit fallenda clientum,
Atria quae servet, spe nempe adducta caterva,
Nos fore, qui verbis multum officiisque juvemus.

Nec mihi vel dictis mulcendus creditor, aera
Qui petat a domino sex septem debita ab annis,
Artificum aut questus, nondum mercede soluta,
Placandi et lacrimae miserorum: sordida circum
Quos proles panem nequicquam flagitat; omne
Quippe domus instrumentum atque antiqua supellex
Opposita est, nullo redimendum tempore pignus.
Forte frequens nostras si percontator ad aedes
Adventet studiis male laevus, et otia turbet;
Est qui me peregre profectum nunciet, Enni
Ancilla ut quondam Nasicam elusit, herilis
Interpres mentis. foribus quoque fallere clausis
Fas mihi: nec pigeat casu si exclusus iniquo
Discedat, qui me convivam ad se ire juberet.
At cicer ipse domi et siccum prandebis asellum:
Nae melius, quam si serus conviva alienis
Invitus vescar dapibus, plenoque revertar
Ventre domum, gravis ipse mihi, minus aptus amicis.
Et liceat, madidus pisces si forte rotundam
Africus exiguo pretio submittat ad aedem,
Mercari auratam, mullum et grandem esse lupumve,
Nullius ut tenear dono securus et esca.
Hoc juvat: et soleo ad melius transcurrere quondam,
Quum socios inter celebranda repotia paucos,

Sive diem rediens natalem quod vehit annus,
Sive insperato dulcis quod venit amicus.
Haec mihi sunt faustis convivia grata diebus,
Haud crebra, atque modum ut servent, interque sodales,
Vnde animus pasto redeat mage corpore laetus.
Nam quod me niveis nullus per compita vectet
Currus equis, laudo fortunam artusque valentes;
Nec celeres rhedas, pilenta aut mollia matrum
Invideam sanus: pedibus licet urbe vagari,
Quo me cumque vocant ritus, spectacula, pompae.
Incédo solus: meditantem quae in manibus sunt,
Nulla salutandi me cura exercet, amicus
Nec queritur, praeter tacitum si me ire salute
Viderit indicta. clivos atque avia lustro,
Interdum fora, si libeat, circumque pererro:
Percontor, quanti fictum de marmore pomum,
Caelatum aut quanti oenophorum vel picta tabella.
Saepe viae lato digesta in margine gaza
Institor, aut series retinet confusa librorum
Scrutantem, parvo lateant si digna parari.
Lentus et ad Marci gradior quandoque columnam,
Dum circum attenta densus bibit aure popellus
Divini nugas magno amuleta favore
Laudantis, pretium queis jam lux crastina ponet

Vel triplo majus, si forte invenerit emptor.
Quin picta interdum subsisto ad lintea, longo
Quum radio argumenta planus demonstrat, et idem
Attonitam claro delectat carmine plebem.
Interea a Claudi digressus bibliotheca
Obvius ingreditur mage nil mihi Vitus aventi,
Vitus amore pari tecum quo laetor amico.
Salvere ut jussi, comites procedimus ambo,
Quo nos cumque pedes ducunt: nisi forte loquacis
Occursum Fabii flexu vitare monemur,
Ne medius veniat, sermonem abrumpere nostrum
Certus, et invitos disjungat, dum sibi quisque
Vel vicum quaerit, vel caussas nectit eundi.
Sermo oritur, non de probris vitiisve alienis,
Nec bene nec ne aedes vendat Verannius, unde
Aut aes Dama paret servis modo dives alendis,
Hispanos aut Fuscus equos; sed quod magis ad nos
Pertinet, antiquis de rebus, num quid ab alto
Submissum Ocriculo, Latiae gaudere Camoenae
Quo possint? titulos et quis vulgare repertos
Cogitet? eversi quae sit fortuna sepulcri
Scipiadum? magni vel quid post longa laborum
Taedia Gualterus luci proferre sit orsus,
Misenum et varios Romanae classis honores

Adgressus doctis primus describere chartis?
Quaeve agitet nostri venturum in saecla Marini
Ingenium, quod tractet opus, quae cura retardet?
Ac de virtutis quoque summa quaerimus, unos
Et merita unanimes dignamur laude, bonis qui
Omnibus anteferunt: ut sancti est fama Labrei,
Ignotus pauperque, domo patriaque relictis,
Qui vitam duxit sola virtute beatam.
Haec recreant, haec me solantur, fessa labore
Quum mens atque oculi languent, et aperta requirunt.
Ad pluteum vesper me primus et otia laeta
Sole vocat fugiente: nec ocior ille redire
Invito visus, laevo nec tempore; festis
Seu facibus jam nox colluceat, acta theatrum
Fabula seu totum quatiat. me vita solutum
Iuverit haec misera ambitione: haec suavior, ac si
Barbarico jam dives alat me regia luxu.

SERMO IIII

DE VTILI PRAESIDVM PIETATE

AD

LAELIVM SONCINVM

SODALEM VETEREM

Quid cura fessum scribendi, ad carmina rursum
Me revocas, musis postquam, Soncine, relictis,
Quae bene vix unquam cessere, aliena sequutus,
Admorim Grajis vel serus acumina chartis;
Scriptorum sacer ut veterum chorus, atque Latinae
Augescant ut opes Grajorum divite censu.
Non eadem est aetas, non mens; majoraque, vires
Quam possint praestare, petis. nam fortia facta
Magnanimi haud quivis versu describere Crassi
Virtutemve queat: patria vel qualis ab urbe
Exitium nostrisque famem deflexit ab oris,
Et studiis et amore parens: aut ille regendis
Consilio populis quantum valet, unus habenas
Qua deceat laxare tenus vel ducere doctus.

Haec vestris est apta modis et digna, poëtae,
Materies, flavi qui propter flumina Mellae
Pacati trahitis quae dat bonus otia Crassus:
Fas vobis benefacta viri, fas ora tueri,
Mirari eloquium, dextram tetigisse, domorum
Subsidio quae fundit opes miserata ruinam,
Et fovet algentis squalentia pignora plebis.
Nam me Tibris alit, patriis et finibus arcet,
Sectantem melius si quid felicior aetas
Advehat, et voti tribuat succedere partem.
Sed tamen a vestris quando veracior oris
De Pietate viri permulta hic fama loquuta est;
Admirer porro nunc jam minus, omnia vobis
Quod tranquilla fluant, et tuta Brixia pace
Floreat, antiquae stent artes, institor aurum
Securus servet, sanctumque juventa pudorem.
Scilicet haec Pietas fert praemia, forte tribunal
Si comes adscendat juris cum vindice, et illi
Adsideat, veri haud fallax interpres et aequi.
Non illuc favor adrepit, pravusque cupido,
Aut varios aditum blandae reperire per orbes
Illecebrae potuere. mari tutissima ceu qua
Vrbs sedet Adriaco: nihil ausu proficit hostis,
Bellica nil valet ars. cur hoc, sic collige mecum.

Auri saepe nitor submissaque munera saevum
Rectorem illaqueasse feruntur: vendidit auro
Hic patriam, misero fraudem struit ille clienti,
Iudicis insontem sententia perdit avari.
Si caussam quaeras, Pietas responsa petenti
Haec dabit, extorrem quia me, nil tale merentem
Exegere domo: foribus quae sedula custos
Iustitiae adstabam, legumque severa satelles.
Inde aevi excusso venturi laeva timore
Mens animi ruit in praeceps; nec limes honesti
Aut aequi sit ubi, quaerit, vel scire laborat.
Vtile quod fuerit, vel cui sit juncta voluptas,
Hoc petit, hoc melli est: lateri nec jam comes adstat
Qui roget, atque cave hoc, dicat, ne admiseris, iram
Numinis in te quod vertat, caput atque tuorum.
Nam frustra domini jam quaeras inter amicos,
Quem nulla insignem nota fecerit: ut Cybiratae
Praetori Siculo quondam par nobile fratrum,
Et saevo fur cum Timarchide Apronius atque
Rubrius, immiti et lictor Cornelius ore
Tota fuere cohors. sancti quia nempe pudoris
Vincula qui fregit, censorem ferre recusat,
Et vitiis similes amat ingenioque sodales.
At Pietas cui fida comes, non ille cohortem

Hanc legat, et castos alieno crimine mores
Culpari metuat. medius si forte maligno
Quisquam animo vafer irrepsit, dominumque fefellit,
In speciem cautus sese componet honestam;
Deprensusque dabit nullo discrimine poenas.
Ergo omnis leges populus patresque vereri,
Et positis fervens animis mitescere pubes:
Iam pudor in laude est, latebris et laeta relictis
Incedit mediam virtus revocata per urbem:
Praecidit sumptus, metuens sibi, debitor aeris:
Ipse solum latitans fur vertere, perfidus atque
Cum meretrice parat leno. mox redditur aris
Cultus, et ornatis splendent donaria templis.
Vidisti, sanctae Crasso duce Virginis aedem
Desertis quantus domibus clausisque tabernis
Stiparet populus? quantoque in vota precesque
Effusus studio placaret numinis iram?
Alma viri hoc potuit Pietas: nec Brixia vidit,
Et prior haec mirata refert. urbs aemula testis,
Quae procul alta jugo surgit suspensa minaci.
Namque illuc Venetis missus cum fascibus heros
Intulit egregios, docuit quos patria, mores,
Et secum invictus virtutem adduxit ovantem,
Infensus vitiis. o terque quaterque beatam,

Quae te cumque ducem tellus morumve magistrum
Accipiet; fugiunt livor malus insidiaeque
Qua graderis, pax te ridens comitatur euntem,
Iustitiaeque fides soror incorrupta, piarum
Et charitum chorus, atque effuso copia cornu.
Quid modo te amisso soletur moesta parente
Brixia? vel longum possit lenire dolorem?
Non aetas, reor, ulla; gravem sed fallere curam
Ars tamen expresso vultu queat: aureus ille
Stet medio in clypeo, meritus, qua curia magnos
Magna viros, clarorum et laudem ostentat avorum.
Atque illic titulum cives inscribite: PATRI
HOC PATRIAE POSITOS POST FASCES BRIXIA CRASSO

SERMO V.

DE VIRTVTE ANIMORVM CONCILIATRICE

AD

GREGORIVM CLARAMONTIVM

PONTIFICEM TIBVRTIVM

Alter ab acceptis vertens insignibus annus
Te veteres inter, Clarmonti maxime, plausus
Tibure rectorem laeto patremque salutat:
Et junctis ordo studiis, populusque viritim
Certat adhuc, patriam teneas cui carior urbem,
Quisve colat magis, et merito laetetur honore.
Anne ego te, claris quod sis majoribus ortus,
Italiae quondam qui finibus imperitarint,
Haec generi debere putem? nae saepe relictam
Nobilitas spretamque dolet se: quippe malignus
Nobilium mores populus fastidit et odit.
Nec quia jocundo patriae complexus amore
Teque tuosque fovet, Romam Pivs ipse beato

Qui regit imperio, et populis dat jura; magis te
Ille amet, iratum sibi quam formidet, amare
Parcus, opem cupido nisi demum commodus affers.
Atque idem, multo quod sit tibi parta labore
Doctrina, et plenum decoret sapientia pectus;
Suspiciat laudetque libens, sed lentus inerti
Frigida languescat circum praecordia sanguis.
Nempe animos Virtus cepit tua, et omnis amore est
Conciliatus amor. testor, tua semper in ore
Queis pietas, cives pariter gratosque colonos:
Namque tua his etiam per valles et juga Virtus
Affulsit, cari ut dextram tetigere parentis,
Quum te dulcis amor festos invisere pagos
Impulit, atque pios propius cognoscere alumnos;
Visaque mox fama est vero retulisse minora.
Primum nil extra numerum fecisse modumque
Curas, majorum leges, et scita tueris,
Iustitiae custos et servantissimus aequi.
Non sibi ne sit fraus innexa, petitor honoris
Ingenuus metuit: nec qui te judice certant,
Hos auri nitor insontes, et munera terrent.
Et potes aversos verbis componere amicos,
Consilioque domos praesens fulcire ruentes:
Angustis idem haud tardus succurrere rebus,

Et miserae cellas reserare atque horrea plebi.
Mirer ego, bona si populum tot juncta patresque
Demeruere? tuo pendent, qui cominus ore,
Seu fontes aperis divinos, altaque miro
Magnorum eloquio vulgas oracula vatum;
Seu pia describis vitae praecepta beatae,
Quid deceat vitare magis, quid quaerere praestet,
Et queat a vitiis animos servare pudicos.
Quid referam, tenerae quantum te cura juventae
Sollicitet, puris ut crescat moribus, atque
Mature longos discat perferre labores,
Sera quibus paritur sapientia? si pueris est
Virtutis qui monstret iter, si lecta sophorum
Scita docent veteres circum plaudente corona
Doctores, decus et patriae stet gloria laudis;
Muneris esse tui cives hoc jure fatentur.
Nec satis id: studiorum idem laudator et auctor
Ipse ades, ac pueros parva ad certamina primus
Committi gaudes. dulcis fert praemia laudis
Iudice te victum melior qui perculit hostem,
Et resides animos doctrinae incendis amore.
Artes at primas doctus, maturior annis
Abdita qui sophies arcana sacrasque requirit
Naturae leges, et qui prescripta regendis

Moribus ediscit, dias vel noscere rerum
Conatur caussas, superûmque intrare recessus;
Anceps te coram fari quid debeat, haeret,
Ne sero indictum prudens velit esse, quod ore
Excidit. hinc secum posthac quae proferat, ante
Instituit reputare domi jam sedulus, aequum et
Censorem veritus, vacua proludit arena.
Interea tranquilla domi sunt omnia, tristes
Nec longaeva timet natis matercula casus,
Aut queritur trepidam lymphatos ire per urbem,
Et nocturna tremit certamina: nam lare tuto
Ad pluteum multam in noctem sedet abdita pubes,
Atque unum urget opus, vesanae nescia curae,
Quae miseram rapit in praeceps perditque juventam.
Gestit anus laeto successu, terque beatum
Illa diem clamat, patriis quo sedibus almum
Intuleris gressum: mox et si forte fenestris
Te videt ex altis gradientem, intenta tueri
Clam gaudet, sanctos votis nec tarda fatigat
Caelicolas, largo tibi munere praemia solvant
Pro meritis, tales valeas qui reddere natos.
Tantum animos capiunt benefacta! potentior ulla
Qua nusquam fuit ars; segnes quae impellere sensus
Posset, et aversas melius pervincere mentes.

Quod tenuis privata viri si facta juvantis
Perpetuo populus studio miratur amatque;
Quid faciat, patriae hic te patrem expertus, in uno
Gloria quo generis, quo gratia consiliumque,
Et pietas nitet atque altae sapientia mentis?
Nulla magis memori, vide 'n, ut jam pectore cura
Exercet cives, ne quis te improvidus angat,
Aut velit invito te quidquam, et jussa recuset?
Iam se quisque libens tibi credidit, unus habenas
Vtque regas, cupit, incolumis: te patria salvo
Dives oliviferis in collibus otia ducet,
Pacatos et tuta dies; sol igneus agros
Torreat, aut hiemes revehat glaciemque nivalem.
Ergo age, sive gregem, fidus si forte vocari
Pastor amas; caram, vel si pater, adspice prolem,
Et dextram aeterni pignus jam porrige amoris:
Auspiciis quae laeta tuis, aliena recusat,
Hoc sibi fassa satis, tua dat quod maxima Virtus.
Nec sibi plura cliens poscit te Lollius ipso
Cum patre atque domo, tecum quei vivere dulce est,
Te sine dulce nihil. sophiae tolerare labores
Te docilis potuit studiorum auctore bonorum,
Defunctus radium et doctae instrumenta Mathesis
Grata tibi extremo dona ut sub fine dicaret.

Nunc festo meritos cultu dum reddit honores,
Quaeque juvat didicisse, volens te judice coram
Expromit, multos rerum te praeside in annos
Vota facit, magnos patriae vertantur in usus.

SERMO VI.

DE OFFICIIS LITTERATORVM

AD

VITVM M. GIOVENAZZIVM

SODALEM VETEREM

Vite, bonis quando semper scriptoribus aequus,
Nec minus aversus pravis, convicia, fucum
Atque dolos sapiens odisti, judice nunc te
Quae pleros et quanta homines insania vexet,
Inquiram paucis: nostri quae pars fuit olim
Sermonis, ridens ad Marci forte columnam
Terga nigro ut primum potuisti vertere Pocco.
Scribimus indocti doctique: haec scilicet aevi
Stultitia est nostri. demus veniam atque petamus.
Sed si tantus amor scribendi nos agit, aequas
Scribendi leges cur non dignamur, honesti
Nec juvat officii partes servare modumque?
Primi aliis praecepta damus, quo vivere more,
Aut quales deceat famam meruisse per artes:

Et qui cultori sit honos virtutis habendus
Doctrinaeque viro, cujus res publica crescit
A studiis, clarum et nostro decus additur aevo.
At verbo si quis quem laeserit inscius, acres
Exerimus dentes, genus implacabile, duram
Saepe ausi imparibus pugnam committere telis.
Culpari scriptor si non pote, vera loquutus,
Aut veris primus propiora, inconditus audit,
Rusticus, inconcinnus. at hic contra nitide si
Scripsit et urbane, lectis sententia verbis
Nulla subest, nullus scriptis est usus in illis.
Est qui doctrinae fulget laude inclitus atque
Librorum censu multorum, aequissimus idem,
Et verbo cautus, ne quem perstringat inepte.
Invidiam frustra speret placare Quiritum:
Vrit enim fulgore suo. maculas male lippus
Deprendet censor, si quas incuria fudit,
Vulgare impatiens. praeclarum scilicet illi,
Vt sperat, nomen dabit adversarius, et jam
Ire per ora virûm incipiet, majorque videri.
Atqui elatum animis vanumque inscitia versat:
Qui sibi dum solus plaudit, de se ultimus ipse,
Emunctae naris civis quid judicet, audit.
An tua, Vite, malo si quis nunc rodere dente

Incipiat scripta, et cedro quae digna putamus.
Delenda insanus clamet; discedat inultus,
Innocuusque notam censoris vitet aperti?
Interea tacitis penetralibus abditus Acro
Scrinia compilat veterum, et nova carmina promit
Inventis laetus, socio sine: quippe latere
Sperat posse dolum fraudemque; nec utilis illum
Exemplo nudata movet cornicula, plumas
Reddere jussa avibus quas sumpserat. at vitium si
Coram forte notes celato nomine, primus
Annuat, et lamna dextram candente Petilli
Vrendam clamet, doctum qui prodere amicum,
Exque aliena ausus sibi re decerpere fructum:
Scilicet haud lenis communi in crimine judex,
Dum sibi nil metuit. meritam nam fortius a se
Ac melius removere notam sibi quisque videtur,
Quum sontem gravius condemnat et acrius urget.
Nec tamen haec labi finem posuere modumque:
Sed vitium rursus multorum hoc, unius haud est
Alteriusve: Morae num bella est fama Lupique
Aut Scaevae, nomenve parum nunc vapulat Albi?
Quin tu etiam vis me salsus perstringere, frustra
Intactus queritur Gallonius; et scelus, inquit,
Ac probri plenum hoc facinus nae duxi ego semper

Et ducam. fraus nimirum deprensa ubi coeptum
Interrupit opus, sapiens tibi consulis. hostem
Quin, ait, odisti, atque infensus laedere gaudes.
Nil addam: laudo prudentem ac gratulor, aequus
Quod decora aetati furtim ornamentaque nulli
Nunc detracta velis sua. verum dic age, quare
Auctor tute nova ut condas, subrepta aliorum
Inseris e libris, nec quo sint fonte petita,
Candidus impertis? num peccas tu minus, an te
Iure putas meliore opibus ditescere avorum?
Cetera nam placidi ridemus, quod semel aut bis,
Ingenuum veluti suetus coluisse pudorem,
Extremo adscribis vexatum in margine nomen,
Securus fraudis: libri quamquam in manibus sunt,
Et conferre licet, tacito quae sumpseris haustu.
Porro inopem angustis hunc rebus vivere, recte
Credimus, ut nummos qui corrogat: ille tetrarchas
Saepe licet regesque atque omnia magna loquatur.
Nec planus imponet tibi, Vite, incautus amictu
Dum se furtivo, atque alieno jactat in auro.
Sed me bella vocant, et duri proelia martis
Finitimos inter populos, multoque tepentes
Sanguine adhuc campi. quae tanti caussa furoris,
Vel pugnae pretium quod erat? majoribus ajunt

Inde genus nostris, ducunt genus unde Latini:
Hoc patriae decus est, haec gloria prima; coloni
Et Roma huc missi Corneli tempore Sullae.
Romula gens salve, dium genus. accola verum
Hic noster renuit negitatque. age, latret ineptus:
Non annum ille tibi demet de stirpe diemve.
Haud feret hoc, patriam civis qui spectat inultum.
Principium hinc pugnae, veri hinc discrimina nulla
Aut falsi: fraude atque dolis pugnatur utrinque.
Ignota inscriptos lapides jam nomina tellus
Et nummos profert invisos. saepe papyrus
Aut membrana recens priscum mentita colorem
Infertur pluteis, multo quae pulvere foeda
Prodeat, et magnorum aevum testetur avorum.
Stultus et improbus hic amor est, nec civibus unquam
Vtilis aut patriae. vos jam quae fama sequetur
Officii immemores qui scribitis? ista vetustas
Scripta vorax, ignisve absumet, picta novatis
Quum festis radians noctu per pegmata ludit.
Sunt veri fines, quos ultra excurrere non est:
Qui sapit, haud pugnis sese intermisceat istis.
Verum, inquit, mihi bile tumet jecur, et nisi certum
Fors bona, quem feriam, scribenti objecerit hostem,
Friget opus nulli laudabile. non tibi nostro

Defuerint aevo, ad pugnam quos jure lacessas.
Aude aliquid prisca pro relligione parentum,
Proque aris templisque: vide' n, jam serpat ut omnes
In partes virus, foedorum et noxia pestis
Librorum? intactum nihil est: convellitur ima
Ab radice, patrum scriptis sapientia primis
Quae viget: inversi mores, legesque refixae
Majorum, summi passim violata parentis
Majestas, sancti perierunt jura senatus.
Atque hic in partem pugnae durique laboris
Relligio te, Vite, vocat. quos segnis in usus
Scripta premis, nulli non exoptata sophorum?
Scripta novo veteres spargunt quae lumine chartas,
Et leges ac doctrinam tutantur avitam.
Commodus in magnum venies certamen, honoris
Nec pugna expertem te cedere viderit hostis.
Quid cessas? parvae dum contra incendia vires,
Et vasta obruimur tantorum mole malorum.
Nam pugnae me dura rudem si praelia terrent,
Arguat immerito, gessit qui strenuus arma
A puero miles: prece nos votisque vocare
Auxilio superos aequum est, quos longa labore
Cura levi exercens melioribus exsuit annis.
Tu genus o nostrum caelo nunc respice ab alto,

Rex hominum atque pater, pura tu pectora comple
Doctrina, ingentes tu nunc ad fortia facta
Redde animos et virtutem, divinitus olim
Quae Solymis primos ceu flamma illapsa magistros
Accendit, tenebras praesens et dispulit orbe.

SERMO VII.

DE IRA COHIBENDA
AD
AVDITORES
SCHOLAE RHETORICAE

Cura brevem post octobrem monstrataque ruris
Otia succedens praescripta ad munia segnem
Me revocat: durum rursus praesaga mali mens
Sentit onus, decimo gravius mihi mense futurum
Vndecimoque, omnes irarum effundere habenas
Doctorem, pueri, quum cogitis, indocilesque
Inflantem buccas male temnitis. ergo minaces
Quando irae posuere, acri praecordia nondum
Bile tument, animo quae pertractanda sereno,
Placatus tenui promam documenta camoena.
Quippe mei vestrumque pudet me, saepe juventae
Queis fervor tumidum tentavit pectus, et ultra
Extremos misit fines rationis et aequi.
Iram pars hominum melior dixere furorem
Esse brevem: et merito; quae qua fert impetus, illa

Amens parte ruit, legesque oblita decusque
Fas eadem atque nefas confundit, spernit honestum,
Omnia, dum noceat, mala sint sibi, vel bona, temnit.
Rem paucis mecum sic collige. certa furentis
Indicia haec primum, tristis frons, torva minaci
Obtutu facies, tacito suspiria crebra
Cum fremitu, vultus color haud idem, ardua cervix
Dextra elata, pedum supplosio. age o bone, sodes,
Dic, minus ipse furis si, quum te splendida bilis
Caecum agit, in veteres et debaccharis amicos?
Vidi ego nunc flagrare oculos, nunc ora rubere
Turpiter, arrectos furiarum more capillos
Horrere, adlidi dentes, tremere ossa. quid heus tu,
Dic, faceres, media cornu si fronte, vel ingens
Dens tibi cum rictu foret apri? laedere si non
Ipse potes, vis posse, puer ceu trimus, et ore
Atque oculis studium laedendi et dira cupido
Eminet. extingui quae postquam occoepit, et atrox
Detumuit fluctus, quid tum? ridemus amici
Spiritum et incessum vero majora minantem.
Sed malus incautos prope risus perdit amicos,
Quos contra infrendens mutato jam furis hoste,
Et facis, insanus quae non peccavit Orestes.
In pecus Ajacem furor impulit: ira feroces

Saepe odiis succensa viros in damna suorum
Commovit freni impatiens, rapuitque volentem,
Qua jussit praeceps animum imperiosa libido.
Si pote quid, mihi nunc edissere, quae stetit unquam
Humano pluris generi mala pestis et orbi?
Nec mihi tu Lapithûm convivia, sive Thyesten
Tristia discerptis cenantem fercula natis;
Nee Trojae casus memores et funera gentis
Immeritae, vel quas immiti solvit Achilli
Atrides poenas: propius res quando aliae sunt,
Quae nos attingunt. quoties heu scissa capillos
Relligio caedes et detestata suorum
Funera deflevit, longo discordia ludo
Quae tulit irarum comes importuna, feretque
Iracunda, ferox, nulli placabilis. haec te,
O pietas, terris exegit, primaque sectas
Intulit et patris contemptus omnipotentis:
Haec rupit jus omne, et plebem insana patresque
Commisit, bella incendens, ignesque nefandos
Admovit templis, cineri nec parcere sacro
Visa est, atque aras superûm temerare sepulcra.
Haec proavi luxere, ipsi pars magna malorum
Tantorum; durum veteri quia vivere lege
His fuit, irarum tardis adducere habenas.

Iam minus ingenio fidas incautus, et horum
Incutiant peccata metum. sua cuique regendis
Sunt animis praecepta, quibus mitescere possit.
Disce, audi: tempus meliori credere nunc est,
Non illis, iram qui olim docuere probandam,
Finibus exiguis quae sit contenta modoque.
Nescit enim furiosa pati frenum, inque teneri
Officio: rapidi sed ritu fluminis ut se
Proripuit, nulla obniti contra potuit vis,
Nullus amor, nullus dilecti occursus amici,
Consiliumve precesve: sibi nam posse quod optat
Quisque videtur, inops quoque, et addita cornua sentit;
Sed magis imperio atque opibus queis fors mala vires
Addidit exitio miserorum: dirus ut ille,
In plenum qui olim legionem irrumpere circum,
Cognatosque armis jussit pulsare Quirites,
Mancipii vindex: Prasinam quod meta quadrigam
Sibila collidens unde unde exciverat. ergo
Cunctari prima prudens incoeperis ira,
Et nosse ingenium, ac celeres compescere motus.
Cunctari Fabius qui noverat, imperii res
Restituit, tumidi praeceps quas ira Terenti
Perdidit: Ausoniis tristis nec Poenus ab oris
Cederet in patriam, victa ni maximus ira

Scipio, neglecto vastaret Punica lentus
Regna duce: hac victus cecidit ferus Hannibal arte.
Prima cupidinibus qua responsare superbis
Addiscam, haec monstrata via est: sic multa malorum
In ventos abiere, ipsum compressa sub ortum.
Ni caveam, victa est ratio, dominumque potentem
Accipit. ut primis arcendus finibus hostis
Qui fuerat, simul ac portis sese intulit, urbi
Mox captae dat jura, haud accipit. at sibi solers
Qui sapit, in pace idem aptarit idonea bello,
Et mala, quae impendent, multo catus ante videbit.
Nec minus hoc tecum curaveris, et memor unum
Duxeris esse prius, levis irritamen ut irae
Contemnas metuasque. hoc olim mite Thaletis
Ingenium, hoc Anyti vidit reus, atque minuti
Et studia et fremitus placide risere popelli.
Fortius hoc meliusque secat rem: incendia contra
Scintilla e tenui, quam non incuria vitat.
Pollio conviva quid Caesare Vedius olim
Peccarit, dicam. voci officiosus herili
Dum puer accurrit, cyatum pede lapsus utroque
Fregerat, exiguo in censu leve quod foret, ipse
Pollio quid doleat dives? sex scilicet unum
Dempserat aut septem cyatum de millibus, ut si

Vnum de magno granum quis demat acervo.
Adde, hospes Caesar quod erat, mitissimus unus
Qui fuit. ast irae semper qui paruit, illum
Nulla queat compescere res vel caussa: trementem
Raptari puerum dominus jubet, et genus addit
Mortis, ut in magna muraenis traditus esca
Piscina, lente discerptus membra periret.
Proh superi meliora! at jam pernicior euro
Fugerat elapsus puer, et magni ante pedes se
Caesaris abjiciens, alia sibi morte perire
Vt liceat, supplex orabat. quae simul hausit,
Aversata novi crudelia monstra furoris,
Vindex ipsa manu puerum clementia mitti
Imperat Augusti; et domino crystallina coram
Cuncta lacus, pueri pro corpore, destinat undis.
Nimirum invicto sic castigandus amicus
Caesari erat, poenam admisso et dedit ille minorem.
Primores populi furor hic si corripit, ecquid
Non ausit pravi docilis plebs, quidve juventus?
Vnos omne forum vos spectat, vosque tribus, et
In vestra quaerunt virtutem fronte: videre
Introrsum potuit quam nemo. pergite porro
Consilio praeferre facem, queis mens bona, vestro
Discat et exemplo saevus mansuescere civis.

Nulla bonos decet ira: hic verum quid faciet, qui
Raptari matrem, caedi qui viderit ipsum
Fuste patrem? vindex aderit, pietasque sine ira
Fortior eripiet morti, et servabit utrumque.
Quippe negat vitio id melius sese addita posse
Ipsa suis virtus quae viribus omnia praestet,
Externae non indiga opis, quum sola, pericli
At metuens, simul ira comes successit, et exlex
Omnia turbavit. verum bona nunc hominum pars
Nequicquam, parta veluti virtute beati,
Magnum aliquid spondent de se: virtutis at umbram
Sectantur specie decepti, dum procul ipsa est
Paucorum complens vulgo non cognita pectus.
Iactas ingentes animos, convicia quum te
Irritent comitum, parasiti aut jurgia laedant,
Et metuas vulgus de te quod sentit inulto.
Quid turba male jactatus quum pone sequenti
Succenses, vel quum veteri neglectus amico
Multa doles, laevo quem non decedere calle
Videris occurrens, quamquam post te sedet uno
Ille gradu. quando haec animi majorave multo
Ingentes sensere? etenim numquam esse malorum
In numero haec virtus putat, ardua quae super exstat
Adversis semper rerum immersabilis undis.

Hanc studio quaeras: una haec servare beatum
Namque potest. nimium ut te delectare secundae,
Sic quatere adversae nequeant res; et tibi constans
Vel regum possis vita praecurrere amicos.
Adjice demum annis quae nos melioribus ortos
Relligio edocuit. patienter nam mala ferre
Qui didicit, nulla et tacitus fervescere ab ira,
Multa luit peccata, tibi quae plurimus ignis
Excoquet irato. quam praestat solvere vivum
Quod debes, sera flammis sub morte luendum!
Tunc poenas odio qui nunc festinat inulto,
Infectum volet esse, dolor quod suasit et ira,
Et dabit infelix meritas se judice poenas.

SERMO VIII·

DE INSTITVTIONE PVERILI

AD V. C.

LVDOVICVM MALEGVZZIVM

NVPTIARVM CAVSSA

Hoc ne dabis, Ludovice, tua cum conjuge, postquam
Nulla poëtarum jam vox sonat, ultimus ut vos
Adloquar, ingenio minor et sermone, sed idem
Consilio haud impar, veri nec futilis auctor?
Vivite felices, sancto quos foedere nuper
Iunxit amor, prolemque brevi date: non decet esse
Tam clarum genus et nomen sine prole, parentum
Virtutes et magnorum quae reddat avorum.
Sed neque vos doctis excultos artibus olim
Sponte tulit natura, neque hunc feret, e gremio qui
Matris in amplexus mox parvulus ire paternos
Discet, voce patrem compellans. scilicet omnes
Vt doctrinae, sic morum expertes inopesque
Nascimur, et curae nemo non indiget. aetas
Prima tamen patiens culturae, cerea flecti

Quolibet, atque omni, quam das, obnoxia formae.
Ergo animum primis pueri instituisse sub annis
Ipse velim, parvus muliebri ludere palla
Ante domi quam desinat, atque crepundia ponat.
Tum rerum primis elementis imbuitur mens,
Tum primum recti docilis pravique, magistros
Et bona monstrantes et quae nocitura, sequatur.
Sed bona quae puero sint, vix erit unus et alter
Navus qui doceat: mala contra et prava magistri
Hunc totidem docuere, domi quot vernulae, et ipsa
Nutrix, ac cellae custos longaevus herilis;
Qui dum blandiri puero, et munuscula certant
Parva dare, avertunt quae detestatur, amico
Ludere cum verna patiuntur, triste precantem
Mendico irritant; iratoque oscula figunt:
In vitium jam pronus abit, crescitque cupido
Mox ficti pravique tenax. nam vera loqui me,
Exemplo sit equus, serum multa arte magister
Fingere quem dura tentat cervice, sed omnes
Cui pereunt curae: repetet nam prata, nec usquam
Aut onus accipiet dorso, aut dominum feret armo.
Iussit Areopagus multari morte puellum
Impubem; quae tanta admissa piacula, quaeras.
Fabula non longa est: avibus male laevus, alauda

Seu turdus si forte daretur sive coturnix,
Effodere ille oculum miseris utrumque solebat,
Supplicio gaudens crudeli, cetera mitis.
Devotum est morti pueri caput: hunc fore namque
Cecropii duxere patres, si accederet aetas,
Civibus et patriae faceret qui talia multa.
Exiguum nihil esse putes, si crescere possit.
Principiis obstandum, ipsos vellenda sub ortus
Germina sunt ima ex radice: hoc fingere mores
Atque mederi animis et mentes flectere tempus.
Qui prope jam grandis vixit sine lege, labori
Adsuetus nulli, nullis atque artibus, et jam
Dicta senum ridet, censorem spernit amicum;
Crede, nihil meliora docens hunc flectere cura,
Aut studiis valeat rebusque intendere honestis.
Peccat saepe pater, matercula peccat avusque,
Indulgent puero quum singula, nilque negant, quae
Poscere multa die jussit damnosa libido.
Vt qui majorem faciunt ratione mala rem,
Nescivere modum legemve; ita filius exlex,
Quod semel impetrarit, idem bis terque rogabit,
Mire animum stimulante cupidine, quaeque libido est,
Impune eripiet, matre invita atque parente.
Vidi olim puero molles supponere plumas

Qui posset, magnam et lucis qui stertere partem
Sponte daret: primaeque idem per tempora brumae
Cingere villoso ter pectus gausape, et idem
Aestate adsuetus soli subducere, ne vis
Acrior agrestem suffunderet ore colorem.
Anne his Ausonia olim in magna educta juventus
Desidiis, vel quam veteres, si credere verum est,
Duravere gelu, vel quae post crevit in urbe
Romanis pubes sub patribus? omnia docta
Temnere, hyperboreum frigus, momenta leonis,
Pulverem et adsiduos imbres: tractare sagittas
Atque trochum, disco certare, ligonibus arva
Rumpere, falce ulmos vitemque putare. parentes
Ipsi opus atque artes primi ostendere vetustas,
Scilicet Etruscis quondam quae gentibus, et quae
Ante Remo fratrique et avis placuere Sabinis.
An te quaesitum, Quinti, quos patria misit,
Invenere tuo cessantem rure? colonos
Imo inter duros tum forte bipalia tractans
Dictator fossam fodiebat; cumque marito
Solibus usta aderat Racilia: quae simul audit,
Legatos Roma adventare, togam ocius affert
Laeta viro tuguri raptam de culmine, nuper
Margine quam Tibris lotam siccabat. in Aequos

Hinc ferus absterso dux pulvere Quintius ibat,
Ibat colla jugo certus submittere. tales
Scipiadae bèlli duo fulmina, Mumius atque
Cunctator Fabius, densis qui saltibus olim
Matris ad arbitrium caedebant ligna, laborum
Et brumae atque famis patientes: his tamen aucta est
Res Romana, ruit Carthago, excisa Corinthus:
Haec pubes dirum Hannibalem Antiochumque cecidit
Ingentem, haec vastum infecit mare sanguine Poeno.
Sed neque majorum fortissimus ille tuorum,
Threiciae quondam Naupacti ad litora classes
Quem sensere gravem; aut acres aequissimus unus
Imperio Ligures qui rexit, quique ruentem
Consilio patriam juvere et fortibus ausis,
Hoc vixere modo, qui nunc placet atque probatur;
At pueros vitiis qui pèrdidit atque juventam:
Perniciem domibus serisque nepotibus aeque
Laturus, mores dum corrigat, extorremque
Desidiam pellat gravis auctor, primus avitas
Artes qui revocet, curas et reddat honestas.
Mirer ego pueri ingluviem si opsonia captat,
Ducitur aut libo fumante; pater modo quum sit
Ipse prior dapibus natum carisque placentis
Pascere, aves suetus cenanti et passeris atque

Rhombi porrigere ilia, vinum et trans mare natum?
Sudando pueri mihi pulmentaria quaerant:
Castaneae molles et olus, potiorque placentis
Latrantem stomachum panis bene leniat: ora
Monticolae ut pueri niteant, nec pallidus illis
Vsque color, dubia veluti desurgere cena
Harpyis similes parasitos saepe videre est.
Non ego nunc morem, Lacedaemone qui fuit olim,
Iam revocare parem, tigno ut suspendere panem
Te jubeam, et jaculo pueros certave sagitta
Dejecisse, famem miseri mulcere, ruentem
Qui stomachum fulcire velint. hoc sanus amicum
Ipse patrem optarim nulli concedere partas
Absque labore dapes: sudet puer, algeat, instet
Sedulus ante operi: praescripta ad munia primus
Matutino idem surgat cum sole; precari
Multa Deum discat, praesenti numine uti se
Sospitet atque domum: clausis vicina gregales
In foribus socii nequicquam ad ludrica tardum
Invitent: procul hinc, penetralibus abditus altis
Conficiat pensi quod habet: tum denique mensae
Hunc liceat tecum considere, desidiosus
Si nec cessavit correptus voce magistri,
Nec libum clepsit, nec clausa armaria laesit.

Mitte leves curas: nati ne absumere fruges
Venimus in lucem, et frustra sublimia nobis
Ora dedit natura, aut caeli templa tueri?
Est animus puero divinae particula aurae:
Hunc colito, hunc totam merito sibi poscere curam
Crede pater. nam quae auro divitiisque parandis
Multa diem noctemque impenditur, alter in urbe
Ne sit, mummorum plures qui servet acervos;
Sedula quamque parens adhibet, ne pulcrior alter,
Comptior aut nato media spatietur in urbe;
Non animum ditat, vitium non, si latet, aufert.
Nempe illum sapere, et natis bene consulere ajo,
Cui mores pueri, potiorque vel una videtur
Et specie virtus et forma: nam mihi sane
Thersites malo sit filius, intus Achillem
Si virtute refert, Nireus quam vel Ganymedes,
Turpis at introrsum, et pulcrum sine pectore corpus.
Atque illum sapere, et natis bene consulere ajo,
Cui mores pueri potiorque vel una videtur
Virtus esse, quam opes, quam praedia: nam mihi sane
Irus egens malo sit filius, Irus Vlyssem
Si virtute refert; quam Croesus sive Midas sit
Dives opum, stolidi ast aures indutus aselli.

SERMO VIIII.

DE INGENIO ET LITTERIS ITALORVM

AD

SODALES LITTERARIOS

ITALIAE

Nempe Italum externo non cedere, viribus atque
Ingenii certare parem reor, unus inepte
Non mecum sentit, peregrino qui favet, osor
Antiqui moris, patriaeque oblitus honores.
Namque alios passim scribendi nunc quod opella
Iam magis exercet, charta laudentur eadem.
Haud tamen his dederim quoque cetera: rarior inter
Nos dulci gaudens scriptoris nomine, quique
Scribendi grave nil onus horreat. hinc vitio fit
Detur uti ingenuus pudor, et reverentia multis
Culpetur: quod non tragica ampullamur in arte,
Impius et raro sit scriptor, vel sophus acer,
Aut mulier famam scriptis mercata procorum.
Quos tibi, si tanti quaeso facis, hospes, habeto:
Invideat nemo. non his viget Ausonidarum

Gloria, nec spreta se relligione tuetur.
Nam gremio haec aluit pueros, et sancta vereri
Iura patrum docuit; nec quae sit semita veri
Celavit, caram mater ceu sedula prolem.
Hanc colimus sequimurque; nefas et laedere, semper
Duximus: ingenium exercet cura altera nostrum,
Nec tardas ferimus docta in certamina vires.
Dic age, Cecropias quando impulit aestus ad artes,
Nos et amor cepit musarum, ecquos, opis unquam
Sive ducis videas eguisse? unus sibi quisque
Dux, cita per vacuum ponit vestigia princeps;
Nec si quid scripsisse boni doctique videtur
Accola, furtivis olim ut cornicula pennis,
Ornari gaudet, propriis contentus. inertis
Nam recte putat esse aliena abradere, lucem
Ipse suis dare quum rebus queat optimus auctor.
Non ego te ad proavos revocem, quum primitus artes
Restituisse bonas ausi, lumenque tenebris
Praeferre in magnis, circum dum regna teneret
Omnia barbaries: sit prisci ea gloria saecli.
Num quem clara tulit Verona et luget ademptum,
Scipio, quum versus faceret, monumenta Quiritum
Erueret tenebris, naturae arcana notaret;
Vllius ante solo vestigia trita sequutus,

Ausoniae veterum laudes reddebat avorum?
Magna Bianchini quid vis tentavit inepte?
Quid Redi mens alta, Zenusque acerque Polenus,
Manfredique acies. ac consultissimus aequi
Gravina? accisis ne humiles pennis inopesque
Repere humi, an propria cernis virtute nitere,
Et superas trivisse vias? tamen his quoque multos
Adjecisse licet, plures et comparat istis
Haud minor ingeniis hominum nunc Itala tellus,
Quam fuit Augusto sub Principe, quamque Leontis
Medicei rursum propiori floruit aevo.
Testor Felsineae veneranda oracula gentis,
Et vos prole virûm laetas Antenoris arces,
Musarum sedem: claro vos nomine Pisas,
Et Coriti lectos Itala de pube sodales,
Italiae longa aucturos in saecula famam:
Inque urbem Arcadici qui convenere coloni.
Docta cohors, quorum exemplis impulsa juventus
Suscitat ingenium, et patriae tutatur honorem.
Anne ego vos mittam, laeti parvoque beati
Ducitis innocuum sacris qui sedibus aevum,
Divino alterni placantes carmine numen?
Non si versa premunt gravibus vos tempora curis,
Abjecti cecidere animi, vel vox silet: almo

Pergitis eloquio populis praescribere mores,
Dum licet; aut studiis, si quae Deus otia fecit,
Haec datis: Italiae vestro est prolata labore
Gloria, scriptorum doctis quae maxima crescit
Foetibus, et laudi propior contendit avorum.
Atqui dissentit Rubrius, planeque recusat
Nescio quis, mala ave algentis prope stagna Lemani
Perniciem satus in multorum: namque loco jam
Emotam Italiam, nec sole calescere eodem
Dictitat insanus: mirum nil, inde sophorum
Copia quod nobis nulla est. felicior astris
Omnia succedens habuit plaga; protinus atque
Boeotum nobis crassus super ingruit aër.
Quodque magis mirere, oris haud dissita nostris
Huic pubes favet, assensu plauditque secundo,
Famosis sibi quam scriptis in foedera junxit.
O seri studiorum! animus nam laedere non est
Mature doctos; invito quam mihi saepe
Et bilem vestri et risum movere tumultus?
Quid caelum stulti petitis, commentaque prisca,
Et nocuos terris astrorum inducitis ignes?
Sidera qui caelo fixit radiantia, quique
Ignotum per iter jussit caelestibus astra
In spatiis errare, his et leges dedit; idem

Ille hominum genus et terrarum condidit orbem,
Descripsitque plagas, dona et mortalibus aequo
Iure dedit rex atque pater. quae tu vitio si
Deteriora facis, caeli quo pertinet astra
Culpare immerita, atque homines absolvere culpa?
Desidia ingenium sensim pravusque cupido
Obtundens, studiis animos avertit honestis,
Atque affligit humi: antiquae sic gloria laudis,
Sic pereunt artes. vitiis at nos quoque nostris
Vrgeri ut fatear, vestrae modo plurima detur
Quae reperire domi, vestris et finibus orta:
Num qui virtuti fuit hic atque artibus olim,
Nunc ereptus honos, aut pulsae sede vagantur?
Sunt, mores hominum veteri qui lege coërcent,
Consilioque regunt; sunt qui per tuta viarum
Deducunt cupidos ad veri lumina et aequi:
Quos sequitur recti docilis, studiisque juventus
Conformata bonis, proavi quae prima Latini
Monstrarunt, seri et retinent servantque nepotes.
Nam pueri Latium a primis ediscimus annis,
Sermonem et Grajum: vestris qui finibus olim
In pretio fuerat, nunc cura est ultima, sacram
Si quis amat dibapham et vacui compendia lecti.
Dum rudis hic, linguam si quis non callet utramque

Institor, aut bello vel ruri natus habetur,
Non studiis: Latio potior quia credita, Grajo et
Sermoni doctrina latet, puroque jubemur
Haurire, illimis quo manat copia, fonte.
Nulla hinc barbaries Italas oblitterat artes,
Aut pulcri infuscat speciem: grande atque facetum
Adnuerunt faciles nobis ad carmina musae.
Sed vano Rubrius pergit sibi plaudere fastu,
Atque suos toto solos canit orbe beatos.
Ignarus quantas procurreret aequor in oras,
Vnum se dominum rerumque hominumque potentem
Credidit esse Sinas. Rubrius quid distat ab isto?
Italiam extremis quamvis a montibus hospes
Viderat, et claras de nomine noverat urbes.
Sed levis hunc mulier, vanaeque insania plebis
Decepit, quod lege regi studiisque videmur
Externis, Grajo crines seu femina more
Fingit, et ulnarum bis ter cum syrmate pallam
Recta trahit: Batavas vir sive uxorius artes
Forte probat, maculis candentes atque minutis
Indutus manicas, auro idem interlita gestat
Serica: cui geminis aptam perstringat alutam
Argento pedibus de puro fibula, quali
Bucephali melius jungantur ephippia dorso.

Ergo alpina etiam nisi quod trans culmina scriptum est,
Nil sapit: huic veneres, huic obvenere lepores
Vndique decerpti. servum pecus Itala pubes
Transalpina legant, inquit: tum denique priscum
Quid fuerit Latium atque Augusti tempora, discent;
Quando alpes ultra jam concessere camoenae
Artibus abductis: aevi monumenta prioris
Muta domi stupidi mirantur saxa Quirites.
Sic favet ingeniis Rubrius plauditque sepultis,
Impugnet nostra ut vecors, quae lividus odit.
Oderit: hoc boni habet res pessima, si quibus haeret
Invidia, his oculos, animum his noctesque diesque
Excruciat. Rubrius sic nunc quae cernere non vult
Et videt, et fulgore idem uritur. haud etenim ullus
Degenerem Italiam pudor arguit; ipsaque claris
Laeta viris multas inter caput efferet oras:
Tanto laeta magis, resides quanto minor urget
Spes animos, dulcis promissi aut gratia lucri.

SERMO X.

DE VETERI STATV CIVITATIS RETINENDO

AD

ITALOS CONTERRANEOS

Serus amatores rerum cupidosque novarum
Adloquor, Italiae pax nil tutissima dudum
Queis erat, et veterum nil jura aequata parentum,
Semotusque metus belli. procul excita tandem
Quae venit, turpes longam quaesita per artes,
Libertas quanti steterit, nunc scire laboro:
Libertas miserorum, urbes quae perdidit, atque
Ferre jugum ac leges dedit arbitriumque potentum.
Heu quo Brutorum promissa abiere, malum? quo
Iam cessit frondosa arbor, radicitus una
Quam potuit stravisse dies? quo temporis aetas
Illa novi, et fausto surgens lux aurea saeclo?
Exhaustas mihi redde domos, mihi templa, repostum
Redde aurum, clamat discisso Patria crine,
Et raptos quaerit crudeli funere cives.

Atqui languenti sub Principe moesta latebat
Virtus, majorum vinclis deterrita, laudis
Omnis clausa via, et studiis simul ingeniisque
Nullus erat, quo tum possent excurrere, campus:
Vivere nec vita visus qui viveret illa.
Scilicet haec inter paces atque otia tuta
Prima mali labes, placidam contemnere vitam,
Et quibus ornatur, tantum ignorare bonorum.
In primis sapiens pacata civis in urbe,
Nullus ubi armorum strepitus, discordia nulla
In diversa rapit, quid non sibi sumat honoris,
Si velit, aut quales liber non excolat artes,
Quum vacat, ingenioque viget mens praedita acuto?
Num pretium meritis, virtuti num decus haud est,
Vel fautor, stimulos praesens qui laudibus addat?
Tranquillis rebus quin olim et pace secunda
Sic artes crevere bonae, sic gloria parta
Italiae, studiis quae prima inclaruit orbi,
Inventis celebrata suis. sed quod mage praestat,
Atque homines unum facile caelestibus aequat,
Dic quibus interclusa boni sit semita et aequi,
Vel quibus in promptu non sit sapientia, quam nos
Bisseni docuere viri, mansura magistri
Praemia monstrantes, homini quae cuique parata,

Virtutem si victor amet, si turpia vitet,
Vtile si constans semper postponat honesto?
Ergo amens, hominum subductum de numero se,
Dictitet, ac vitam hanc neget esse, unusque maligne
Desipiat sanos inter: ceu Marcius ultra
Camunos olim, exstinctum qui dicere sese
Pergeret, appositae renuens accumbere mensae;
Nam vita functis non potu, non opus esu.
Hunc cognatorum sollertia triste silentem
Excitat hoc pacto. tabula resupinus in atra
Marcius effertur: concors vicinia plorat,
Exsequiisque ornant moesti de more sodales.
Exinde ad tumuli tacitum longa atria portant,
Ossa ubi multa virûm squallentibus horrida formis
Prostabant, et calva caput simulacra manusque
Arentes, costaeque et scissis tibia suris.
Quattuor at juvenes obitae sub imagine mortis
Sandapilis prima porrecti nocte jacebant,
Funali accenso. foribus quum leniter actis
Infertur flavae pultis, fumante catino,
Quantum quinque satis posset messoribus esse,
Mazonomumque assis simul haud ignobile turdis.
Tum juvenum primus, senti 'n quid muneris, inquit,
Oblatum? surgitque prior: nec segnior ullus

E sociis: gaudent, instructa quod est dape mensa
Manibus. at secum mirari Marcius, esca
Qui possent vita defuncti vescier illa,
Et sibi, quae cernant oculi, vix vera videri.
Sed stimulante fame patinas succedit ad unctas
Quintus: eum socii medium sibi multa timentem
Convivam accipiunt. cenatur: quid morer ultra?
Fultura ut stomacho accessit, stulto rediit mens,
Liber et a morbo plorantes Marcius inde
Cognatos hilari sanus jam fronte revisit.
Vivite nunc, cives, primo queis vivere ritu
Concessum rursus, pudeat nunc denique falsos
Expectasse fidem. ratio est prior illa, volentes
Quae vos sola queat facere et servare beatos.
Felices rediere dies: pius otia Princeps
Ipse amat, et laetam cives traducere vitam
Vult idem: Rege insontes gaudete recepto,
Si sapitis, positos pigeat nec sumere amictus.
Heu miseros, triplici rosa quos variata colore
Decepit vulgi captos popularibus auris,
Et tonso Brutos jussit simulare capillo!
Quam vellent veteri in patriam nunc lege redire,
Quam foret his pulcrum cives cum civibus esse!
Sed furor insanos male perdidit: anne furor vos

Idem transversos agitet? dementia rursum
Fallat, quos tristes casus, quos plurima longum
Dissidia edocuere? senes jam prisca sequamur
Consilia et mites patrum sine crimine mores,
Vita quibus paritur tranquilla; impune malorum
Importuna cohors depellitur, otia tuta
Et pax alma vigent. nobis hinc laudis abunde,
Hinc Italae dabitur quo crescat gloria gentis
Et patriae virtutis amor. procul impia nostris
Aufugiet terris insania: laeta subibit
Cum pietate animi cultrix doctrina, fuit quae
Militia melior, potior victricibus armis.
Divitiae si cui dio sint munere partae,
Non hic, qui repetat praeceps arcarius aurum
Pro patria promptum, timeat, vel cui pro alienis
Solis ad occasum numeranda pecunia. tectis
Quae pius intuleris, tua crede: cibaria miles
Non quaeret, non te armatus turbaverit hospes.
Tuta domi mater cum virgine, tuta nepotum
Cara cohors: tuta his gaza adservetur avorum.
Quid si vita juvet famam contemnere docta,
Delicias quae ruris amat secretaque tecta?
Quis vetet, antiquis dum legibus omnia perstant,
Consilioque senum regitur res publica, solas

Te silvas inter vel amoena vireta vagari
Ludorum immemorem, populoque atque urbe relicta
Interdum dulci ad fontem indulgere sopori,
Aut volucrum ad cantus cessatum ducere curas?
Fas tibi nunc longo proceras ordine pinus
Excoluisse, novo vel faustam palmite vitem
Augere, haud sera ingenuis spectacula natis;
Fas et seminibus jactis inducere florum
Egregias formas, variataque germina miris
Pulcra notis, quas non prior altera viderit aetas,
Atque novare genus, magnam et sine nomine prolem.
Nempe gravis nemo interpellet, nec tibi ruris
Otia praeripiat: non testem cogat adesse
Invitum praetor, non plebs te sumere fasces,
Si stetit urbanis decedere honoribus: aequae
Vim nulli leges adhibent, si civis honestum
Sectatur, civem nec laedit, amatque bonorum
Delectum et patriae decus. ergo age, quaerere mitte,
Pax tibi dum felix, et salvo patria censu,
Qui procul hinc motus, ardens quas suscitet iras
Invidia, haud jam processus latura perennes,
Cognatasque vocans infesta in proelia gentes:
Nec tu scire velis, longinquis quid faber oris
Ingenio extuderit nostrarum in damna domorum,

Queis Gallus studiis, qua gaudeat arte Britannus,
Quid ferat externis mercator finibus, aut quae
Alte succinctis laudet commenta puellis,
Quas capiti leges fingendo, quamque capillis
Nectendis rursus formamque modumque requirat.
His sine majores aevum duxere beati,
Moribus invisis hominum, quum rarus ad oras
Explorator opum nostras accederet hospes,
Atque aliena minus nostris inventa niterent.
Namque modum in rebus norant, et viribus impar
Nemo subibat onus. moliri grandia pauper
Risus erat, visus si quisquam: famaque curae
In primis nomenque bonum, domus omnis honorem
Nunquam oblita suum. quidquid gestaverat ante
Ornatus mater, satis id gratumque puellae,
Ad sponsum si deferret, nec quaerere mundum
Ausa novum, gemma ut pectus splenderet et auro.
Simplicitas hilaresque oculi suavisque loquela
Plus erat in pretio: virtuti quippe nocebant
Haec nihil: et nuptae laus ac decor omnis, honestas
Sub matre a tenera si virgine noverat artes.
Ad summam gaudere bonis tu disce paratis,
Quae nobis peperit, longusque probaverit usus:
Nec placeat, quidquid trepido tentaverit ausu

Accola contemptor legum. plus saecula norunt,
Quam brevis acta dies. nec tu sine pectore credas
Tot vixisse homines, queis olim publica rerum
Cura fuit: contraque viri sapientis habeto
Suspicere antiquos, veterumque exempla vereri.

LIBER II.

LIBER SECVNDVS

SERMO I.

DE RATIONE DOCENDI

AD

PRAEPOSITOS

LYCEORVM MVNICIPALIVM

Quum pleni calcant Romana per oppida ludi,
Et celebrata sophis reboent a voce Lycea,
Atque avidi pueros cogant unde unde magistri,
Nullaque sit vacuis schola sedibus: hoc juvenum vos
Omnia queis parent examina, dicite, quaeso,
Tam multis quare de millibus unus et alter,
Non totidem patriae vertentibus utilis annis
Civis et eximia prodit spectabilis arte?
Aut si vera tulit de vobis rumor in urbem,
Iam minus haec animos incommoda tangere vestros,
Orbe quod exacto redeunt demensa trimestri
Lauta domum, curaque brevis traducitur annus,
Hoc date, ut externus damno sine quaerere caussas
Enitar morbi, et fessis succurrere rebus.

Namque est, a longo fractus jam membra labore,
Quem pudeat periisse operam, cupidusque requirat
Hoc scire, an morbo posthac medicina parari
Vlla queat, studio vires ne perdat inani.
Non ego delectu nullo complerier omnes
Diffitear ludos, pueris qui primitus unis
Nobilium soboli patuere. boni tamen ipsa
Saepe aliquid faex ruris habet, magnumque popello
E medio ingenium adsurgit. non ergo magistros,
Si manet incultum atque rude, omni exsolvere culpa
Verum est. et merito doctorum pars bona multis
Cordatos inter cives, queis patria cordi est,
Vapulat haud insons. data nam cui cura docendi,
Otia amat studii parcus, longique laboris
Impatiens; donec seri ad suffragia patres
Conveniant, morbo certi capitique mederi,
Successore dato. nullus nam dum timor urget,
Largius hic somno, ille mero indulgere, relictis
Et pluteo et libris. quin tristi a munere, si fas,
Iam bene curata nitidum cute, tempora cultu
Femineo comptum, scitas de more puellas
Ire salutatum videas, adsidere comem,
Et miscere jocos, laudes adtingere fratris,
Discipulos inter numerat si forte, beatus

Crebrius accipiat per quem reddatve salutem.
Inde sophus repetit ludum, modo qui Ganymedes
Flavus erat. pueri hunc mirentur? vel gravis auctor
Audiat, et multos doctrina excultus in annos?
Nae solidum curis tempus qui perdit ineptis,
Exiguum studiis impendere vix queat: horas
Nempe suas poscit sibi lectus, mensa, diurni
Carminis et pensum, sacris si deditus ullis,
Aut de sacrata coepit si vivere quadra.
Haec pueri norunt, haec et clamare secundi
Doctores soliti pueris coram atque parente,
Invidia infesti primis, nec rodere segnes,
Forte aliquid digni si peccavere notari.
Nec peccant pauca: ingenti quia saepe labore
Est opus, ut recte doceas, impendere qualem
Haud illos nova cura sinit pravusque cupido.
Namque hic Romuleam magnis quae lecta Lyceis
Instituit pubem, quamvis et docta virorum
Et studiis adsueta cohors, vix demere partem
De solido potuere die, ne fracta labore
Vis animi tenuetur, onus quae ferre diurnum
Saepe nequit: tantum poscit sibi cura docendi.
Iam me alio vertam: pars namque est altera, multum
Quae vobis, pleno et procerum laudata senatu,

Vrget opus, stimulosque et laudis sentit amorem,
Vt claram excultis famam sibi quaerat alumnis.
Ire tamen quosdam transversos dum videt, et se
Perdere remque suam, tanto haud commota periclo,
Nil agit, et morum sibi nullam incumbere curam
Dictitat, indigni nomen gestare magistri.
Qui si animum sumant censoris, mollior aetas
Ante metum quam prava pudoremque exsuat omnem,
Saepe bonam pueros ad frugem et prima volentes
Ad studia adducant: miseros cessante magistro
Quos ruere in praeceps, raptosque perire necesse est.
Et facile haud dubiis possis cognoscere signis,
Coecus amor captum primo quem torreat igne.
Indicium faciet comptus nova forma, Britannus
Advena quam Gallusve recens induxerit. eja,
Quo tibi sunt virgae nunc aut manus utraque? molem
Discute pulveream: Cyprii quid danda popello
Hemina hic farris male perditur? aurea jam quid
Illa facit duplex lunati spira galeri,
Anulus aut, nivea et nigro focalia limbo,
Atque infra zonam vacuis geminata crumenis
Fimbria? quaeque olim renuebant serica reges,
Nunc tereti exagitat sutoris filius armo?
Si prave lenis pater aut matercula nati

Indulget vitiis demens, et fallitur, an te
Nunc deceat siluisse? tibi quum fidat uterque,
Teque unum tenero custodem optarit alumno?
Nec minus interea hic, pubes cui contigit apta,
Iam procul a recti deflexit tramite, primis
Dum quos instituit, vult omnia discere ab annis,
Annales urbis, Graecorum inventa, poësim,
Grammaticam, leges majorum, rhetoris artem,
Et picti tabulas orbis, solisque labores.
Vt si convivae post longi incommoda morbi
Pavonem apponas, aprum, conchylia, turdos,
Et dubia jubeas marcentem vivere cena.
Dum tenera est, pueri tractari mollius aetas
Imbecilla cupit. studiorum denique possit
Emensus spatia, in plures discedere curas,
Iudicio melior, cautusque adsumere, vires
Quod perferre queant. nam qui properantius omnes
Contendit libare artes elementaque, magnum
Fama aliquid persaepe ante ingenioque professus,
Hunc remeare domum videas sine laude rudemque:
Cujus et in lectis rara est sententia verbis,
Gratia nulla, color nullus sermonis; inepta
At multa, et crebris quae sint excepta cachinnis:
Poetus ut Euganea quum venit Fulvius ora,

Auditis uno septem doctoribus anno,
Et lunam in patria dixit fulgere minorem,
Quam Patavi quae se spectandam praebeat urbi.
Nunc inimicitiis acres bellisque magistros
Incastigatos ne sinam sibi plaudere? pugnae
Qui studio abrepti, metuenda in proelia mites
Committunt animos, veri falsique tenaces,
Dum noceant. fonte ex uno sic diditur error
Pravus, et incautos virus late inficit: irae
Vsque vigent, crescit pugnandi antiqua libido,
Non animi nec virtutis sapientia custos,
Ingenio gaudet quae miti, et proelia vitat.
Quanto rectius hi, naturae inquirere leges
Qui soliti, et rerum scrutari elementa, viam si
Forte queant veri et tutas penetrare latebras,
Nullius addicti jurare in scita Lycei.
Non si Pythagoras quid dixit, porticus aut quid
Chysippi probat, et totae mirantur Athenae,
Continuo id verum. nam stare haud pauca favore
Et studio videas hominum male fulta, ruinam
Quae concussa trahant. mihi veri edissere, sodes,
Vt credam, caussas: rationi obtemperat ultro
Mens animusque, levi docilem quia fallere fuco
Illa nequit, donum aeterni immortale Parentis.

Sic artes rediere bonae, sic ludicra quondam
Deposuere sophi: studiis exculta juventus
His patriae crescat venturoque utilis aevo.
Durum opus, at vestri, doctores, muneris hoc est,
Hoc curae proprium, studiorum ostendere callem
Et veri fontes. nam cetera quisque labore
Ingenioque potis praestare et viribus aequis,
Ambiguum si monstrat iter dux callidus, et se
Ire alacres auctore jubet, tutissima veri
Per salebras licet ac dumos qua semita tendit.
Sed vestrum miseret, doctores, pauca laborum
Praemia laturi: quando haec nunc musicus aufert
Cum grege semivirûm, aut cantrix meretricula, multas
Iam juvenum jam laeta senum excussisse crumenas.

SERMO II.

DE ACTIONE ORATORIA

AD

M. BOLLANVM

FAMILIAREM

Iunius optatas nuper quod rettulit idus
Antoni sacras a nomine, quodque frequentes
Te Gabii orantem densa audivere corona,
Vim rursum eloquii mirati; nae hoc tibi nolim
Sit tanti, Bollane, parum ut jam credere amico
Incipias, auris gaudens popularibus. id nam
Est vitii, multos quod perdidit, abripuitque
In praeceps, votis dignos melioribus. esto
Te Gabiis densum miretur vulgus, et aure
Cuncta bibat, risu interdum nutuque proberis:
Iudice num caussas alio si oraveris, idem
Omne feras punctum? haud simili ratione Gabinus
Aestimat haec, trutina nec res pensatur eadem,
Qua tunicata solet plebs Romula: quae nisi grandi
Ore sonet doctrina tibi, fastidit et odit.

Nam grandes gerit haec animos quoque, sueta videre
Omnia magna, viros, fora, templa domosque viasque,
Queis Romana aequat veteres nunc gloria patres.
Rhetor Caecilius Lilybaei quod bonus esset,
Anne idem Romae dixit tolerabilis? illum
Quin humili tardum sermone, et tenvia vano
Singula sectantem studio sprevere: corona
Romuleo te, Marce, foro densissima cinxit,
Et plausere equites peditesque. quid, o bone, naris
Emunctae sapiens si quis te spectet, an audes
De te nunc quidquam promittere? maxima plures
At numerat Roma; atque illis Demosthenis ipsa
Vix dives pleno manavit copia cornu.
In primis odere levem mimum, actio cujus
Risum saepe movet stomachumque, movere dolorem
Quae voluit; trunco vel qui similis statuaeque,
Nil, vocem excipias, quo vivat, habere videtur.
Sed neque vox, quamvis sit Nestoris ipsa, fluebat
Dulcior Hyblaeo quae melle, admurmuret unquam
Grata auri, proprius ni flexus molliat: idem
Si tenor est, sparget lethaeo tempora somno,
Adsimilis vitreo sensim pede quae sonat unda,
Strata levi mulcens pastorum membra susurro.
Iam, Bollane, mihi tecum res: optimus audi

Quid poscat Fabius: nam te si forte probaret
Scribentem, multa oranti male diceret, artem
Nullam in te clamans, vocemque modumque requirens.
Praecipitur multis nequicquam; at non tibi, formam
Cui nec parca dedit natura, nec addere multa
Arte vetat, facili succedent omnia nisu.
Ergo age: nam vocem tibi, quae sonat aspera, et ore
Contracta in medio nunc frangitur, arte resolves
Hanc primo, ut lenis decurrat: spiritus ipse,
Luctantem angusto quem ducis tramite, sese,
Sis modo culturae patiens, dissolvet. Athenis
Hoc potuit, celsum qui fudit carmina collem
Ingrediens, dura naturam ut vinceret arte;
Nec requievit, iter donec jam pectore in arcto
Nacta suum, longo intonuit vox reddita cantu.
Sic puer, a primis fari qui nescius annis,
Labra movet, verbis paullatim adjungere verba
Si queat, auditas et tentat reddere voces:
Mox matrem atque patrem compellat garrulus ultro,
Permiscetque jocos, servare silentia segnis.
At careas venia monitus, si quae modo chartis
Ipse domi prudens illeveris, haec mihi coram
Improvisus ades dicturus: nam bene nemo
Reddit, quae nunquam dixit sibi, judicioque

Non alio promit non ulla lege: magister
Ante opus ut membris doceat distinguere membra,
Et premere, et totis vocem contendere nervis.
Rebus enim cunctis nunquam vox convenit una,
Et voces natura dedit, chordae ut citharae sunt
Intentae, ad tactum quas respondere videmus.
Haec cita, tarda illa est; gravis et quaedam, altera acuta:
Tum quaeque exigua aut magna; omnes arte modoque
Quas discat tractare actor; varietque, colores
Ceu pictor, gratas qui vult inducere formas.
His renovandae aures, animum pertingere si vis.
Lecta tamen fletum si res non postulat, imo
Quid mihi corde gemens ducas suspiria? et in re
Exigua grandes studeas aequare tragoedos?
Scilicet haud erat his locus: et narrare paratum
Dedecorant lacrimae, quas non dolor exprimit aut res:
Dum contra matrem divini in funere nati
Describis, magno perculsam corda dolore,
Femineosque refers luctus, tenebrasque diei,
Et totum insolitis tremefactum motibus orbem;
Cur modo vox haeret, rapidi modo fluminis instar
Verba fluunt? placido quae si fundantur ab ore,
Vel durum possint sensim pervincere pectus.
Sed gestu peccare magis te dicimus, arte

Fingendum longa, Fabii jussu: actio primum
Componenda tibi ad speculum est: nempe ipse videre
Vt vultum, utque statum possis orantis. habebis
Sic factis jam tute fidem quae videris, et nos
Stringere rem disces, verisque notare minora.
Impransum, Bollane, negant te orare, quod ante
Sublimis fari quam coeperis, alba parantem.
Hinc sudaria et hinc, labra abstergere videmus,
Ceu pransi faciunt, vultumque offerre nitentem
Sed gravis hoc censor multo improbat acrius, oris
Quod male conveniat rebus color, ira pudorem
Praevertat, verbis oculus discordet inepte.
Deme supercilio nubem, quum dicere laudes
Instituis: dic namque, minas quo pertinet istis
Ostentare oculis, quum laudas, pandere rictum,
Et scabere hinc digito frontem atque hinc? nonne vides,ut
Se cubito alterni moneant: risumque tenere
Vix possint qui te spectant? non segnior umbras
Tu tamen extensis manibus comprendere pergis,
Atque humeros agitare leves. de lintre loquentem
Ridemus: sed suggesti ni linea claudat,
Iam procul aufugiat populus, ne lapsus arenam
In mediam venias capiti gravis et gravis ulnis.
Orantem gestus, fateor, juvat, unus et addit

Vim saepe eloquio, magnis et pondera rebus:
Non omnis tamen, aut voces quo scenicus actor
Exprimit, et rerum pernix vestigia signat;
Sed gravis, et qualem interdum certare palaestra
Adsueti referunt: digiti quo verba sequantur,
Haud fingant, nimium nec dextra arguta loquatur.
Arrectam frontem projectaque brachia laudant,
Dignum aliquid pleno quoties Demosthenis ore
Acer agas, simul et numeris contorta ferantur
Fulmina: pacatus renuit nam talia sermo.
Ad summam, moneo, bona raro oratio stabit,
Quam male reddideris: non optima saepe probetur,
Si bene dicta. Hortensi olim fuit inclita Romae
Gloria, ut orantis populus penderet ab ore,
Non ipsos tantum gaudens audire tragoedos.
Haud tamen hunc veteres scribentem laudibus aeque
Ornavere: artis tantum valet addita cura.
Fumosam veluti Sanci qui forte tabellam
Viderit ignarus, contemnit; mox stupet idem
Squalorem quum jam mango detersit aliptes.
Verba moves invita loco, quum scribis, honore
Si non digna putas: cur gestum abludere rebus,
Ingratoque feres manare vocabula flexu?
Si sapias, doctos scitabere, qui tibi dicant,

Hoc cave, ludentis species est, nec minus illud;
Sic Satyrum moneat, vel sic Cyclopa moveri:
Quo tibi nunc acies oculorum, si manus istuc
Ad statuam porrecta abiit pictamve tabellam?
At tua delectant si te mala, si tibi plaudis
Ipse domi, spernis censorem artemque magistri;
Iam pecori et patriis declames montibus, horror:
Nae melius, quam, si nostras male vocibus aures
Obtundas, nulli jocundus. vive valeque.

SERMO III·

DE FVCO BIBLIOPOLARVM

AD

CENSORES LIBRORVM

Rem miram narro: libros nunc bibliopolae
Iam faciunt ipsi, scriptore beatius omni
Et citius. quid enim? de crassa impune papyro
Chartae junguntur centum: frons albet inanis
Prima, levi effigies signant ex parte secundam
Ex illis, geminum quae olim triplexque volumen
Vix parce ornabant. veteri nempe aere redempto,
Quod mille oppositum pro nummis, fenebre mensae
Pignus erat, rursum semesas bibliopola
Supposuit prelo tabulas, duxitque figuras:
Sic modo Virgilius liber exstitit alter, Ilerdam
Quem mittat, Batava vel mutet merce beatus.
Vicinus morbo interea tentatus eodem,
Grande opus, urbanas audet conjungere moles,
Naumachiam, circum, arcus, thermas, amphitheatrum,

Lapsa Deûm delubra, forum, castella, columnas:
Cuncta domi quae nunc, lanaque coluque relictis,
Incidunt aeri dociles ad pensa puellae.
An cessat Veneti proles germana magistri,
Regales prope quae plenis cubat aedibus hortos?
Quin opera certat studioque aequare parentem
Adsiduo, pictis vulgare volumina chartis
Ausa nova, et circum dare mox luci atque theatrum
Egregiis expressa parat miracula formis.
At dignum docto si quidquam interprete, plura
Pagina te doceat, quae proxima, nec levis auctor,
Et quem te legisse juvet: libraria contra
Inverso studio nihil haec nunc turba moratur,
Et pueros cogit, tabulas victumque ministrat,
Et crasso jubet aera stylo properata parari,
Sudet ut adsiduus revoluta ad prela redemptor,
Et pensum referat centena exempla diurnum.
Haec summa, his laetus plaudit sibi bibliopoles,
Exactas Latio ceu si revocaverit artes.
Iam quippe interpres quae longus scripsit inepte,
Charta oculis melius subjecta fidelibus offert,
Longum et discendi minuit via facta laborem.
Imo auget plane: raro quia nempe vetusto
Respondent exempla operi, permultaque chartis

In speciem descripta, aevo quae invisa priori:
In primis tabulae, exiguis quas aspera signis
Ornamenta notant. nam fit saepe urceus, ante
Quod sertum discusve fuit; fit taeda jugalis,
Quod pilum, aut Graji gestamen militis hasta.
I nunc, et studiis florentem talibus urbem
Tolle levis, probris ut gaudeat accola nostris,
Romanusque roget quas scriptor nunc colat artes,
Ingenii laudem oblitus famamque diserti?
Advena emet tamen illa aliquis, pretioque parabit
Demens, vel quanto Graji stent scripta Dionis,
Aut Livi, et compti Patavina volumina Tulli.
Namque hoc audentes prave omnia bibliopolas
Et facit et faciet; nunquam quia defuit emptor
Stultus, et antiquae mirator imaginis hospes.
Adde huic et civem: multorum quum potior nunc
Doctrina atque decus, centena volumina plenis
In pluteis monstrare domi, quae candida pictis
A chartis niteant, nam Graji nil Latiique
His sapiunt libri: sermo quin vanus uterque,
Et docet interpres cunctas vernaculus artes.
Ergo novis veterem si quis parat edere formis
Scriptorem, solers ut duplo veneat auro,
Non ille excussis deterget menda libellis,

Aut censoris amat curas adhibere secundas:
Sed tabulas aeris minimo mercatus, ad oram
Chartae ubi sunt vacuae, sphinges locat atque leones,
Sive lyram Phoebi, durive insignia Martis;
Littera vel puro interior quae margine surgit,
Hanc variis circum comit, clauditque figuris
Meandri ritu: pictos tenui arte colores
Interdum et minii mos addere lumina: triplo
Id fere enim pretium majus libro adrogat. eja,
Nunc tibi jam celebrata sophis adeunda taberna est:
Accede; officiosus enim te bibliopoles
Occurrens salvere prior jubet: ede, quid optes,
Atque roga, quanti, missis ambagibus, addat.
Mecastor, liber hic pulcherrimus, inquit, amico,
Et bene qui meritus, centum vendetur ob asses.
Atqui tringita hunc, memini, puer assibus emi.
Effigies numera, inquit, non pote, crede, minoris:
Et redit ad pluteum, libro te abscedere inempto
Nec queritur. pretium crescit rumore secundo,
Inque dies major cupidos amor urget habendi:
Imponet bardo tandem, ac centum auferet aeris.
In crucem agi Augustus, fumum qui vendidit olim
Servulum Alexander jussit; quia grandia nempè
Mentitus, multum domini se posse favore

Iactabat vano, argenti captator et auri.
Librorum docti censores, judicio quum
Pendeat a vestro simili de crimine caussa;
Quam feret hic poenam planus? hunc ne impune licebit
Charta iterum et mistis mutare coloribus aurum,
Nec flagro dignum multae metus avocet aut vis?
Vsque novas nectet successu interritus artes.
Dudum quod tineas veterum huic exempla librorum
Multa domi pascebant, exacti abstulit aevi
Indicia et titulos, totum venditque recenti
Ceu prelo expressum mentitus tempora librum,
Mentitusque novas scriptoris nomine curas.
Fraudibus atque dolis sic ludimur, ille coactos
Enumerat ridens nummos et condit in arca.
Interea si quis multis jam debilis annis
Spissum opus, et longo limatum tempore librum
Edere pauper avet, frustra omnes bibliopolas
Ambiat, aut duri speret sibi tarda laboris
Praemia, ni primus tristi data nomina censu
Scripserit emptorum, et primus marsupia solvat
In sumptus operarum, Sabatinaque chartas
Quas de praeduro submittit machina rostro,
Fulginium aut lentum. lex nulla est scilicet aequi,
Et nullus lucri nunc finis: nec bene quidquam

Transactum, alterius nisi rem compendia laedunt.
Quid genus antiquum librorum mittimus, atque
Prima Moguntiacis signata volumina formis:
Oporinen, Aldumque senem, Plantinaque prela,
Et Badios Stefanosque, et claros arte Morellos?
Adde Patissonium, Grifios et Commelinum,
Quos vetus a multa commendat gloria cura.
Non equidem insector, pretii vel nullius esse
Scripta reor docti studio emendata magistri,
Et paribus formis et lata pulcra papyro.
Sed mihi quum totidem vulgarit verba Cominus,
Vulgarit scitus Peregi socer, atque Bodonus,
Ac nitidum quacumque librum, pretioque minore
Quisque emat; antiquum exemplar tu carius auro
Cur vendas, forma nihilo concinnius, atque
Deterius chartis? tiro ista ne, inquit, in arte es?
Nec pretio haec nosti scriptis aequanda vetustis,
Ante octingentos vel quae antiquarius annos
Scripserit ipse manu? quin tu potius veterator
Es mango et multis incommodus. at tua, mecum
Qui sentit, scriptis ultro exemplaria priscis
Comparet, incensis si quando bibliothecis
Omnibus, exstiterint tibi singula; ceu liber una
Antiquus nunc quisque manu est: libraria nondum

Multa quod ars faceret simili exemplaria forma.
Sed tamen egregium plane est opus, atque oculos quod
Vel forma teneat. minime monstranda paramus.
Civibus ad speciem hospitibusve volumina, sed quae
Noctes atque dies nostrum versemus in usum.
Nempe aurum vos, doctrinam nos quaerimus, auro
Quae potior nec villosi sub tegmine libri
Clausa, nec in patulis veterum latet abdita chartis.
Publica nam vobis quod commoda remque sophorum
Communem cordi mage nunc esse et fore semper
Iactatis, quam sint dulcis compendia lucri;
Haec surdo canitis: jam tempora novimus acta,
Et nostri ingenium moresque agnoscimus aevi.

SERMO IIII.

DE ADIVMENTIS ERVDITIONIS

AD

ALOISIVM LANZIVM

SODALEM VETEREM

Institor oceani trans aequora si paret ire,
Dives ut occiduis redeat mercator ab oris;
Quid ferat hic secum, quaeras? qua merce beatus
In patrios demum speret remeare penates?
Namque opibus pariuntur opes, nec vilia quemquam
Scruta locupletem plena misere carina.
Quid magnos si scriptores aequare velit quis,
Atque novis claro in studiis ditescere censu,
His magis, egregio tibi quae, doctissime Lanzi,
Conatu coluisse datum est: prius haud ego quaeram,
Ecquid opis nactus, quaenam adjumenta pararit?
Nam serus studiorum, et musis altus iniquis
Quid valeat? vel si multas lustraverit urbes,
Et musea crepet cum regum pinacothecis,
Atque sibi primos scriptorum jactet amicos.

In primis Grajas Latiis junxisse camoenas
Est opus, et durum a puero exantlasse laborem
Orbilio sub plagoso: ludibria demum
Grammaticis natu grandis nisi debet, ut olim
Qui Latonigenas Diana a virgine natos
Credidit, inversa generis ratione, marique
Tiresiae est ausus muliebres reddere vultus,
Insontique viro, merito nec talia vati.
Non ego, forte datum naturae munere quisquam
Si putet hoc sibi, vernarum bene scribere lingua,
Vel mage Gallorum molli placuisse loquela;
Contendam pretii librum jam nullius esse,
Res quod Romanae et populi monumenta Latini
Barbarico ornentur cultu, mutentve colorem.
Quippe olim et Grajis patrio sermone licebat
Victoris populi describere facta, nec urbem
Scriptorum puduit tantorum. sed peregrinus
His nolim accedat, sculptoris in aedibus artes
Edoctus veterum trunca inter signa, magistri et
In verba addictus jurare, rudis fuit olim
Qui faber aut mango. non his se cana Vetustas,
Credidit, in priscis modo quae latet abdita libris,
Vulgares et tuta oculos fugit: omnia quamquam
Lustrasse, et veri latebras sibi adisse videntur.

Nam multi haec studii semper longique laboris
Cura fuit, mores priscos ritusque sacrorum
Noscere, qui Grajis, vel qui placuere Latinis;
Scilicet ut saxo argumenta expressa vel aere
Quum specto, possis mihi dicere, Consul ab urbe
Hic captis abit auspiciis, Parthisque cruentum
Importat bellum: indictis Circensibus ordo
Hic pompae est, subeunt currus thensaeque Deorum,
Aurigae rutilis splendent in vestibus, igne
Collucent arae, queis urat thura sacerdos.
Orgia sed festis illic celebrantur Athenis:
Hoc Bacchi templum, hae cistae, thyrsoque minantur
Bistonides. contra hic Helenam trahit aequore pastor
Perfidus exitium Trojae. hic rapta Iphianassa
Cernitur ante aras, pater ille est, ferre dolorem
Qui se posse negat, vultumque obnubit amictu.
Indiciis, fateor, manifestis docta notavit
Ars veterum quidquid saxo simulabat et aere:
Vnde nihil demptum velles, nihil addere posses.
Verum aevo spectanda suo, sociasque per urbes,
Nullus ubi monstrator opus, monumenta parabant,
Sculptor et hoc, norat faber hoc aerarius aeque.
Hinc fit, saepe rudes ut torqueat argumenti
Mira novi species; quod multa exegerit aetas,

Et mores hominum mutarit: nec populus jam
Majorum vivat scitis, vel sacra sequatur.
Ergo omnis viget in scriptis doctrinâ vetustis,
Quae valeat lucem obscuris infundere rebus;
Vnaque facta virûm atque aevum revocare peractum.
Inde boni quod habet, se quisque hausisse fatetur
Interpres, prisco et vani sine teste libelli.
Nec bene qui Latiis contentus finibus, oras
Grajorum nolit contingere, riserit illi
Fortuna, ut tuto semper vestigia figat.
Nempe artes Grajo cunctas de fonte Latinus
Hausit, et exemplis studiosius haesit in illis,
Graecia quae posuit prima; ut felicius inde
Omnia quisque petat. tragici te multa docebunt
Scriptores, permulta bonus monstrabit Homerus.
Nec tibi Pausanias per Achaïca rura, per urbes
Defuerit comes, antiquas describere doctus
Historias ritusque et regum facta vicesque:
Apta sibi quae sculptores optasse videmus
Argumenta operum, Parioque in marmore caelo
Expressa exstare et miris variata figuris.
Haec olim tragicis fessus clamoribus, ausu
Raffeus fausto tractare occoepit, Achaea
Dives ope, ac veri felix interpres et auctor,

Dum viguere oculi: nam lumine captus utroque
Arma senex Albana modo ad praetoria fixit,
Et casus fortem hos animum tolerare jubebit.
Est tamen hoc vitio propius, quum solvere litem
Nitimur, intactum nec linquimus, ingenio quod
Tentatur frustra, veterum omnis si tacet aetas.
Quam scite antiqui pulcram, Lanzi optime, frontem
Sarcophagi geminumque latus tua nuper, in urbe
Dum tererere, oculis subjecit epistola nostris,
Et ducis a prima descripsit origine vitam!
Vt puer in ludo teneros traduxerit annos,
Conubio grandis sponsam sibi junxerit: aequo
Mox regere imperio populos sit jussus, et hostem
Finibus expulerit, socios terrore levarit:
Vrbibus atque idem pacatis, lustra ferarum
Venatu vastans, saevos prostraverit apros,
In silvis miles, laus quae non ultima quondam:
Denique post longos confecta aetate labores,
Ad musas sapiens atque otia tuta reversus,
Extremum positis tempus bene triverit annis.
Et fuit haec monstrasse satis, quae picta tabellis
Quisque recognoscat. nam si titulo sine nomen
Quaerere vel patriam voluisses, aut regio quae
Obtigerit pacanda duci; labor irritus omnis

Ille foret, studium sanus rideret inane.
Nimirum est modus in rebus, prodire nec ultra
Iam datur: ingenii virtus tum maxima nostri,
Descriptos intra veri consistere fines.
Te ne stilus teneat Turbonis; quum dare verba
Incipit, et pressos certat simulare Britannos,
Nulla licet vacuis subsit sententia dictis?
Nae melius siluisse: placet semperque placebit,
Candidus ignotum qui se nescire fatetur.

SERMO V·

DE VSV VETERVM MONVMENTORVM

AD

MICHAELEM CATALANVM

CANONIC· FIRMAN·

SODALEM VETEREM

Hoc erat in votis, veteres qui diligis artes
Atque probas, sociûm antistes Catalane meorum,
Scilicet ut Latiis tandem decederet oris
Barbaries, Italos inter quae foeda resedit
Artifices: fors et rursum sperare jubebat
Caesaris Augusti nos tempora. namque sub auras
Signa iterum et Graji rediere exempla leporis,
Nilque tegit tellus jam prodiga. marmoris atque
Aeris opus, solia exsistunt, caeloque cavata
Mensarum fulcra et tripodes donaria Divûm,
Et paterae clypeique, et quidquid Graecia miro
Extudit ingenio: pulcris digesta theatris
Advena quae spectat laudis mirator avitae.
Nam Pariis dudum cives longa atria crustis

Certatim et proceres, Lacedaemoniisque columnis
Antiquum exornant in morem, nempe paretur
Vt sedes cultu spectanda et divite gemma,
Vivos qua statuant ductos de marmore vultus
Signa Deûm, et veterum spirantia molliter aera
Heroumque et magnorum simulacra sophorum,
Exsuvias urbis. variis animantia formis
Ipsa etiam in foribus prostant, saevaeque leonum
Effigies; et quae naturae dona parentis
Ars olim et Grajae potuere effingere dextrae.
Quid voveat majus, priscas si quis velit artes,
Et priscos aevo artifices nunc reddere nostro?
Nam quae olim fuit ars, exemplis crevit ab istis;
Ingenioque datum est certando aequare priores.
Nunc tot quum solers fortunae exempla juventus
Debeat, et nullo fuerit locupletior aevo;
Qui fit, tale aliquid nondum ut mirere recenti
Artificis scalpro perfectum, fallere forma
Quod queat, aut operi possit contendere prisco?
Nimirum id tecum disquiram, abrumpere longum
Si possis paullisper opus, patriaeque laborem
Historiae, et gratas doctis seponere curas.
In primis custos defendit signa, lucelli
Captator, nummis quem ni placaveris, aedes

Haud ulli pateant: aliena hunc vivere namque
De stipe lex domini vetus est; pater ille Quiritum
Quamquam amat et fautor studiosae audire catervae.
Ergo operum tantorum artes monumentaque clausis
Nequicquam latitant in tectis, advena raptim
Quae lustret bene nummatus, non incola, Romam
Discendi studio qui venit pauper, in annum
Cui pater e macro victum submittit agello.
Sed tamen ingentes aulas et vasta reclusit
Septa PIVS: Tiberim transmittite, larga beabit
Copia thesauris. segnis renuit, nimiumque
Pars Vaticanos queritur distare recessus;
Pars properat; nullo sed freta auctore, Sibillas
Quam bonus exemplis olim dictisque regebat,
Nunc caeli fruitur regionibus, additus astris.
Huc paullum o pueri: quamquam non malleus ad me
Pertinet aut scalprum. quaedam vos scire laboro,
Quae non poeniteat didicisse: fuit nam et Arati
Par laus, astrorum qui non cognoverat orbes,
Stellarum docto leges describere versu.
Credite, coecus agit, pueri, vos impetus, acri
Multa animo tentare, humeri quae ferre recusant.
Si veterum redeant nunc tempora, maximus ipse
Praxiteles doceat sic vos: exempla tot uno

Quae splendent congesta loco, non omnibus hic stant
Omnia, quae malit civis si spectat et hospes.
An mihi nunc vestrum quis Laocoonta refingat,
Argillam plastes nuper tractare tenacem
Qui coepit, pulcri aut imitetur Apollinis ora?
Ante volo, tenerum fingat qui dormit Amorem,
Mercuriumve levem pedibus petasoque volantem,
Ismariam aut Baccham vel capripedem Silvanum.
Namque haec stant juveni prima exemplaria, discat
Vnde elementa artis, caeptisque superbiat, ausus
Ipse suos miratus, et aptam in imagine formam.
Hinc sensim majora petat, praeclara sequutus
Tot veterum documenta. labor tenuabitur annis,
Et facilis reperire vias ars omnia vincet.
Nec tamen haec summa est, alias mox prodere rerum
Effigies, alios jubeo vos denique vultus.
Libera nam tandem vestigia ponere prisco
Non auctore minus, veterumque relinquere praestat
Commenta, et patrios tentando reddere mores.
Scilicet haec prisci dederunt praecepta magistri,
Queis docilem merito cupias parere juventam.
Verum urbis mecum si lustres compita, vico
Hoc juvet a primo clamare ad Caesaris hortos,
Quo mihi tu prisca toties ab imagine formas,

Ductaque de notis offers simulacra figuris?
Nam studio totum hoc plastarum vertitur uno
Sculptorumque decus; nec quid felicibus ausis
Ingenioque datum fuerit, jam scire laborant.
Grajus Alexandrum aut Periclem qui sculptor Athenis
Fecerat, an Romae nisi Achaïca signa, negabat
Vlla sibi fecisse datum? quem stultus ab ausu
Si pudor atque metus pavidum revocasset, honorem
Quis statuae nactus de tot modo millibus esset?
Vel quis nunc Sullam Magnumque aut Caesaris ora
Augusti nosset? spectari publica nempe
Res poscit, nostro quae non fraudanda labore:
Vt quantum patriae prosunt tibi commoda, tantum
Si potis, in patriam gratus civesque refundas.
Relliquias aevi qui congessere vetusti,
Tot lapides, tot magnorum monumenta vivorum,
Hoc voluere, manum et priscas dum cerneret artes,
Acrius ut studiis certaret lecta juventus,
Tantundem ingenio niti si posset et arte,
Vtilis inventis, patriaeque augeret honores.
Anne huic, quae caelo digna argumenta suo sint,
Conquirenda diu, sancti quum pagina libri
Quaeque ingens referat facinus, miracula rerum,
Disjectas acies, debellatosque tyrannos,

Et nova nunc ponto data jura, amnesque morantes
Imperium sensisse viri, nunc aethere in alto
Iussos solis equos subsistere, aperta triumphis
Regna novis, clangore urbes cecidisse tubarum.
Nec statuam meritus nunc nemo, sive famem quis
Avertit praesens, atque horrea plena reclusit;
Seu populi motus irarumque obruit aestus:
Praemia vel studiis statuit, plebisque refinxit
Ingenia, et veteres pubem convertit ad artes.
Haec civem teneant simulacra, hinc denique credat
Inventis hospes Romam florere beatis,
Atque novo antiquam sub nomine vivere laudem.
Iam quorsum et priscae nummos exempla monetae
Pertinuit pretio ingenti curaque parare,
Mirarique Deûm vultus scitasque virorum
Effigies, titulos laudare, extollere formas;
Si rudis a prelo nummus tituloque notaque
Prodit adhuc, moresque olet inconcinnus avorum?
Quum liceat tanto sub Principe templa domosque
Eductas caelo signare, urbemque novatam,
Pacatos reges percussaque foedera, mores
Legibus antiquos pacemque artesque reductas;
Ditatos opibus populos, ponto addita claustra,
Doctum et iter Tiberim melius, fundata colonis

Oppida, perpetuo deductas amne paludes:
Cur mihi vel mulier densis in nubibus una,
Flosculus aut crescens signato ostenditur auro?
Nempe opibus miseri in mediis nihil utimur, et quae
Sors dedit, ignavo stulti transmittimus aevo.
Pejor avis nam progenies ventura nepotum,
Nulla modo sobolis si tangit cura parentes,
Ignotos vultus ignoto et nomine nummos
Argenti gaudens pondus conflabit et auri:
Dum statuas alii, Parioque e marmore signa,
Congeriem informem tollendis molibus aptam
Murorum esse ferent; iterum et defossa latebunt
Heroum simulacra et priscum nomen et artes.

SERMO VI.

DE STILO INSCRIPTIONVM LATINARVM REVOCANDO

AD V. C.

KAROLVM ALBANVM

PRAEPOSITVM DOMVS

FERDINANDI AVSTRIACI AVG. FRATRIS

Rebus in adversis vitaque ignobilis oti
Coeptum opus, huic quando serum vix septima finem
Fecit hiems, Italae flos gentis Karole, magno
Iam tibi pro patruo mitti res postulat: uni
Cui sancti defleta senis post funera, Grajae
Nuper opes, simul et veterum cessere Quiritum
Tot congesta annis monumenta, acrique parata
Delectu studioque; tuis quae credita curis
Iudice Alexandro jam nulla extinxerit aetas.
Nam studiis quamquam natus musisque colendis
Eximius frater, magni dum sedulus audit
Iussa PII, diramque famem depellit ab urbe,
Privatae haud illum res tangunt; nec pote partem
Demere curarum, res nunc quem publica noctes

Atque dies vigilem exercet. tu cultor et idem
Tot decorum vindex; nexu quae mancipioque
Addictum hoc nostri repetunt quodcumque laboris,
Inque tuum referunt censum: res foedere junctas
Quod scriptis colimus, magis et quod debita magno
Haec patruo primum devovimus, auspiciisque
Aucta domus crevere tuae. nae si boni habent quid
Si pulcri, haud docto prognati auctore libelli,
Albanis id habent sumptum de fontibus, ex quo
Custodem Sophiae me templa augusta, sacrosque
Artibus omnigenis libros servare sophorum,
Et tantas jussistis opes. quippe ipsa Quirini
Tum mihi visa jugo scriptorum regia pandi,
Quam perhibent claro fundatam a Caesare, saxi
Stare Palatini sublimem in vertice. Grajos
Quid proceres cultu nitidos, viridique Latinos
Fronde comam vinctos, Latiae quid maxima gazae
Et Grajae memorem, pluteis quae prima repletis,
Scrinia? nam privas longo chorus ordine sedes
Scriptorum omnis habet: densi hanc genus acre Britanni,
Has Itali ingentes. Belgis haec contigit, illae
Hispanas tutantur opes et Gallica misit
Quas tellus: duro haec nuper pepercre labore
Iam studiis melior Germania, quosque sub arcto

Maxima Sarmatias Katharine educit ad oras.
An taceam minio quae fulgent plurima, priscae
Scripta manus, sacrumve Hebraea volumina pignus?
Persidas an Syricasque notas, et quae sibi docti
Orbe alio scripsere Sinae? nitet illita multo
Charta auro, et variis fucata coloribus. at me,
Cuncta oculi cupide dum lustrant, alma Vetustas
Admonuit dextra, inque suos tulit ipsa recessus.
Priscorum hic titulos, prisca et monumenta recludens
Albani haec, inquit, proavi, haec bonus intulit auctu
Ingenti Clemens, patruique haud moribus impar
Virtus Hannibalis certatim, antiquave mitis
Nuper Alexandri sapientia. ditior usquam
Thesaurus nullis latet in penetralibus: omnes
Vt mihi divitiae veterum, quaesitaque frustra,
Clarorum patuere virûm memoranda reperta,
Artificumque manus! felix queis Graecia quondam,
Romula queis stupuit pubes. mirere, voluptas
Quod me operum cepit tantorum? sive avide quod
Singula nocturnaque manu et versare diurna
Ausus ego? at studiis hinc res atque ampla libellis
Materies suffecta meis: hinc lumina Grajae
Duximus historiae, scriptorum inventaque et artes
Nobilium haud timidi libantes: aucta labore

Quae nostro, meliora aetas ventura probaret.
Scilicet extremi qui venimus, haud loca nobis
Avia obire datum, fuerunt quae nullius olim
Trita solo: et tamen inventis non ultima laus est
Adjecisse aliquid, verique intrasse latebras.
Ergo tui quod juris opus sit, amaveris aequus,
Nec si quid peccat rude adhuc, multaque poliri
Pumice vult, cunctis culpandum partibus esse
Duxeris, offensus dura asperitate, velut si
Suppositum tractes signum, digitique sagaces
Deprendant vitium. faciles sermone pedestri
Scribimus, indoctus quae tiro et quae legat hospes.
At dolus et nostris merces furtiva libellis
Haud latitat. cupidis vafer hanc extrudere mango
Laudando imposuit; veteres at callidus artes
Qui timet, indiciis fraudem detexit apertis.
Et facit hoc operi pretium, si dicere fas est,
Moribus et studiis laudem quod quaerat ab istis,
Primus Alexander quae jam, vix puber, in urbem
Excierat secum victura. quis hanc sibi namque
Praeripiat laudem, Grajas quod rursus in urbem
Extorres Latio prior ipse adduxerit artes?
Ille antiqua viris promens exempla, retusum
Ingenium exacuit, pavidos tentaminis auctor

Impulit ille animos, laudisque incendit amore.
Hinc speciem et prisca scitos ex arte domorum
Restituere modos, veterisque insignia formae.
Non aliis hinc templa nitent ornatibus, aedes
Quam nituere olim claro vel Caesaris aevo
Augusti, vel qui Dacos Parthosque subegit.
Redditus et villis splendor suus, artificesque
Signa manus reparant antiqua Hermasque, profanis
Qui triviis quondam foedi sine honore jacebant;
Sedibus at pulcris nunc illo auctore locati,
Porticibusque cavis stant, et longa atria servant.
Nos quibus exiguae sunt res, curaeque minores
Cessere, haud tenui sectantes parva labore,
Scripturam atque operum titulos revocare priorum
Nitimur, unde decus veniat templisque virisque.
Et tumuli ornentur monumentaque publica: forti
Spiritus et redeat sapienti vita: sacroque
Scita iterum populi legesque legantur in aere.
Nec quae laetitiam aut luctum testantia nostrum
Carmina fornicibus scribas tristive feretro,
Mittimus: aut summi produnt qui Principis acta,
Nummorum titulos. ipsas libavimus auro
Quas ludens gemmisque notas et dicta Vetustas
Inclusit, vates aevo vel digna perenni

Si quae marmoreis olim incripsere tabellis.
Nempe iterum ut magnis parvisque inscriptio rebus
Conveniat quadretque sua. id curae est mihi primum,
Vt moneam, generi quae partes cuique, modorum
Et formae, egregiis quae olim placuere Latinis.
Tum quae sectari, quae nos decepere praestet,
Quo jungenda loco verba, aut qua formula sede
Gaudeat: externi nobis quid moris habendum,
Quaeve aliena sacris et relligione parentum.
Nam quos jam titulos, quae monstra induxerat aevi
Barbaries foeda, et Romanae inscitia linguae!
O Magne, o páter Auguste atque Vlpi Optime, quid vos
Profuit egregiis signata relinquere saxa
Factorum titulis, majestatisque Latinae
Tot mansisse Italas vestigia certa per urbes?
Si sapere haec seris nil visa nepotibus, et quae
Mirari decuit, se temnere posse putarunt.
Perlege, namque licet, quos inscripsere domorum
Molibus infandos versus peregrinaque verba
Litterulis vario distortis undique ductu,
Ingenii specimen: mentis quin sensa require,
Verbis si qua latent. quis non stomachetur, ineptis
Rideat et salibus? seu quis per nomina ludit
Ambigua, et verbis committit verba; notarum

Sive vices numerat, saeclorum et suscitat annos:
Sive amat externos intermiscere lepores,
Heu nimio Latias horrentes frigore musas
Incusare ausus. procul haec ire omnia pessum
Italiae ab ludis, Itala et tellure jubemus.
Ecquid adhuc falsae captos ab imagine laudis
Strenua nos exercet inertia? fundit apertis
Dum bona thesauris aetas felicior, et jam
Antiquas artes et prisca exempla retexit.
Stat veterum revocare decus: spes, Karole, coeptis
Nec me, si faveas, frustretur. sic tua multos
Ingenio et studiis florentes gratia juvit,
Et juvat, Insubrum fausto quos maxima caelo
Vrbs alit, inque bonas exercet naviter artes:
Queis magnum Augustae magna cum Conjuge Natum
Concilias, virtute idem jocundus utrique,
Invidia et major. summas aequissimus ultro
Ingenii populos tibi laudes eloquiique
Dat docti famam: generis simul atque parentum
Virtutem et patrui exemplo miratur in uno.
Ergo adsis mi etiam bonus, et tibi debita praesens
Auxilio tutare volumina: quippe probentur
Si tibi, jam docti cupiunt quicumque videri,
Laudabunt ultro, nec si quid forte politus

Doctrina et studiis sapiens deprenderit, acres
Continuo exacuet dentes, quid judicet anceps,
Ne procul a recto discedat tramite veri.
Vt tabulam interdum non inscius artis ineptam
Non audet damnare, bono quae forte probata
Artifici, hoc se uno sustentat nomine tantum.
Nec tamen est veri nobis fiducia nulla:
Multorum quamquam primi praecepta viamque
Ausi deserere, et certos describere fines;
Attamen in veterum pressis vestigia signis
Ponimus, et veterum praeclara exempla sequuti,
Arbitrio nihil e nostro praescribimus. est quo
Nos lare tutemur, male quis si presserit: ipsa
Namque favent priscis incisa epigrammata saxis,
Quae totam prostant muris inserta per urbem,
Aut clara Albanae variant praetoria villae:
Iamque tui faveant cura digesta Marinî,
Quae Vaticanis exornant atria claustris.
Inde ortae leges et jus et norma loquendi,
Inde meis venitque fides et gratia chartis.
Auctum et opus melioribus est curis opibusque
Crevit amicorum; nam cur haud consulerem expers
Consilii, multa veterum quos arte politos
Roma domusque fovent Albana? hi namque patebant

Divite mi vena fontes, inopemque vocabant.
Nunc iter Aemiliae spectat liber, et tibi primum
Inque manus reddi, et cupidis volvique legique
Vsque oculis gestit. quem nos haec jussimus ante
Effari memorem nostro de nomine dicta.
Sis felix, magnum virtutis ubique futurum,
Karole, praesidium; taedisque jugalibus aucto
Multa ferant anni venientes commoda, seri
Nulla recedentes adimant. tibi gratus honores
Inscribat populus basibus, tuaque inclita facta
Posteritas miretur, in omne et proroget aevum.

SERMO VII·

DE STVDIIS ANTIQVITATVM CHRISTIANARVM

AD

CAIETANVM MARINIVM

PRAEP· TABVLAR· PONTIFICAL·

Primo defuncti officio, longique laboris
Emensi spatia, ante alios te, docte Marini,
Respicimus, parvo meritum majora libello
Donare hoc ausi: veteri quando aequus amico
Nostras esse aliquid nugas et carmina censes.
Hunc tribus adde libris, quos scripsimus: ultimus illos
Subsequitur. nempe huic titulos mandamus, amici
Quos sibi, vel primi procerum petiere, negari
Queis nihil officium jubet aut pudor. addita lusus
Et nostri numerum pars augent, sponte fluentes
Quoscumque a calamo perscripsimus. his varium quod
Est genus, inque unum non omnes fecimus usum,
Secreti certo tribui discrimine plures
In partes poscunt; primo velut ante libello
Quae dedimus saecli recolenda exempla vetusti.

Et placuit quaedam haud pueris ingrata pedestri
Iungere sermone, antiquas cognoscere leges
Et vim si quis amat verborum, rebus avitas
Vt voces aptare novis et nomina discat.
Ergo erit externi haec studii curaeque prioris
Vltima meta: sacros hinc tandem exquirere fontes,
Molirique aliquid pro relligione parentum,
Proque aris sacrisque aetas deflexa tuaeque
Iamdudum suadent curae, monumenta beati
Qui revocas aevi et claros virtutibus annos,
Quum pietas et sanctarum reverentia legum,
Quum mores hominum rectique probique vigebant.
Magnum opus, et magno laudi decorique futurum
Auctori, quem non dumi salebraeque morantem
Detinuere, unus veterum vestigia rerum
Quin legeres, studio rimatus cuncta sagaci.
Nos levis heu nimium tenuit sermone voluptas
Illectos prisco Latiisque leporibus, omnes
Dum legimus veneres, et scita inquirimus aevi
Dicta boni: auxilio quamquam scripsisse videmur
Tironi quae sint, sive ille ingentia templa
Exornet titulis, seu sacris tempora fastis
Describat, laudetve pios a funere manes.
Sed tamen egregiam tibi rem meliora sequutus

Consilia et privum tractas genus. urge animo altum
Vrge opus, inceptis laetus: te publica quantum
Munera, scriptorumque sinit chorus: officiosum
Quippe nimis te omnes norunt facilemque, aliena
Saepe tuis felix ut crescat pagina chartis.
Quum reddent tibi te, duro ne cede labori,
Namque vigor menti nunc est atque artubus: urbem
Nunc relege, exesos lapides scrutare, tabellae
Ne lateant, vilis si quas faber improbus horti
Aversas muro, putei vel margine clusit.
Talia quaesitum terras comes ire sub imas
Non ego, nec cryptas tecum lustrare recusem,
Caecum iter anfractu crebro tacitisque latebris,
Perfugium patribus populoque ad sacra, tyrannum
Dum fugerent: picto qua parjete templa videre est,
Atque virûm tumulos, pro relligione cruentam
Qui quondam mortem subiere, ipsoque rubentes
Sanguine adhuc phialas, tumulis et nomina sacris
Insculpta hic caelo, minio illic scripta vel auro.
Non levis haec tibi cura, at nec labor irritus; ausis
In promptu merces: venit hinc lux plurima fastis
Caelicolûm, claraque olim qui morte perempti,
Spiritus his et vita redit: produntur avorum
Mores et ritus et prisci exempla pudoris,

Sanctaque laudatis crescunt annalia factis.
An parvi putat haec si quis, nec digna labore
Nunc tanto censet, blateroni sanus inepto
Auscultes cursu in medio, curamve remittas
Consilii dubius? quum talia caepta Valenti
Laudarit magni sapientia, ametque Garampus,
Albanique probent proceres, probet optimus acri
Iudicio PIVS. et merito; nam quae mage nostram
Res operam studiumque petit? nos si genus atque
Relligio tangit, veterum commenta Quiritum
Nec pudet et foedas animo abjecisse Deorum
Tot species, tenebris emersos lucis in auras.
Qui numerat proavos, et regum sanguine cretum
Se putat, antiquos vultus fumosaque patrum
Ostendit simulacra domi: quin stemmata amicis
Dat minio depicta, genus si forte suorum
Nosse juvet, tabulas solers et scrinia servat.
Num deceat tantis nos a majoribus ortos
Illa minus curare, alta nec condita terra,
Si qua vetustatem tulerint, quaesisse: domorum
Vt stent porticibus, vel sacris reddita templis
Immemores moneant, qua simus origine nati?
Nonne vides, quanto fossor molimine terram
Eruat, ut prisci vultus atque abdita signa

Rursus in apricum veniant, ornentur et aedes
Atque fora, antiquae vigeant cultoribus artes?
Atria quin Pariis surgunt innixa columnis,
Spurcus ubi stabulet Chiro ac latrator Anubis;
Et trunco domus ampla Iovi nitet atque Dianae,
Mercurioque femur claudo, semesaque Phoebo
Reddimus ora lyramque: comas, caput atque lacertos
Non sua saepe Venus fert moecha incestaque Iuno,
Cur potior stimulis segnes nos gloria nullis
Impellat, seros ut jam servemus in annos
Quae superant, partae monumenta augusta salutis,
Bis senis aequaeva sophis, qui sanguine legum
Doctrinam sanxere suo? cur fortia facta
Pontificum obliti, quorum sapientia foedas
Dispulit e Latio tenebras, lucemque per orbem
Diffudit, mores hominum mutavit, honestae
Ostendit vitae rationem et lumina veri?
O genus invictum, o fortes, o dura laborum
Perpessi! exemplis quorum omnem et legibus orbem
Relligio complexa viget: de munere vestro est
Quod virtus colitur, quod sacra accepimus, uni
Et facimus nunc rite Deo. majoribus istis
Posteritas quid non debet? digna omnia porro
Nunc iterum, manibus quae contrectata piorum

Vt stent, ut vivant. urbi sed reddere templa,
Quae patrum struxere manus cui nunc licet? hostis
Iam furor, et late diffusa incendia moles
Heu quantas hausere! adde et permulta Vetustas
Quae pessum una dedit, lapides aurumque resolvens
Atque aera. amotae verum de sede columnae
Signaque et a loculis simulacra abjuncta, notaeque
Et tituli aggesta servantur plurima terra,
Aut vacuis veteri domino nec cognita tectis,
Atque urbis mediis coeno stant oblita vicis.
Namque notis male compunctos offendimus ultro
Sarcophagos ciposque, rubrae vel fragmina testae,
Quae figulus signis heroum plurima levit
Sanctorum: hic tumulum lapis, ast aram ille tegebat
Aut fontem: magno passim cumulantur acervo
Saeclorum exuviae, et stirpis decora ultima nostrae.
Quae tamen occiduis ubi Romam venit ab oris
Advena conspiciens veneratur, et oscula figit;
Effictasque domum formas et verba papyro
In tenui descripta refert. iter itque reditque
Civis idem, stupidusque oculis nil cernit apertis.
Atque alii, multo qui peccant turpius, acres
Scilicet, irrident, musivo forte reperto,
Horridulum quis opus si laudet, vel pretium si

Pastoris raptaeque lupis ovis addat imago,
Et nota antiquum testetur littera tempus.
Non ego Grajorum claras infensior artes
Contemnam, aut pulcris indigner pulcra locari
Marmora porticibus: laudo digesta Deorum
Signa virûmque, manus veterum, queat unde juventus
Et formas nosse, et priscas ediscere leges:
Vnde artes revocare datum, quaeis Graecia quondam
Floruit, atque Italae creverunt primitus urbes.
Sic juvat, et mecum tu sentis, docte Marini:
Sed nova dum cultu prisco Musea renident,
Et mira artificum studiis exempla parantur;
Vota facis tanto mecum sub Principe, partes
Quae sine honore jacent urbis nunc didita in omnes,
Tot titulos, tot magnorum spolia ampla virorum,
Relliquiasque patrum, pia nostri insignia castus,
Vna habeat servetque domus, cui prodiga sacras
Terra recludat opes, inscriptaque saxa refundat:
Ne Lambertinae veneranda armaria cryptae,
Ne vacet antiquis paries utrinque tabellis:
Historiae unde queat tot lumina scriptor avitae
Ducere, et infestis pugnam committere signis,
Par Grajae genti, arctoo metuendus et hosti.
Nae cupit hoc volvitque Pivs, cui maxima cura

Relligio est, cui sanctarum custodia legum
Et virtus cordi: faciles jam jussa recessus
Pandet humus, crescentque novo Pia munere septa.
Sed tuus hic labor ac studium peritura parentum
Iam decora, et sacri prima aevi pignora tristi
Vindicat interitu: doctis qui tradita chartis
Sensa virûm et longa servas dignissima vita
Carmina, quae seri relegant sine fine nepotes,
Quaeque legat Gallus Batavusque atque accola Rheni,
Et stupeat gaudens auctu Germania tanto.
Illa tuos quamquam mores mirata fidemque,
Decerpit studiis horas, rumpitque laborem,
Atque urbana tibi curanda negotia defert.
Nempe tuas non parcus opes superaddis, et omne
Comis opus miro eloquio, lectisque sophorum
Adspergis dictis, scriptorum menda refingens
Iudicio ingenioque sagax: nec proxima veris
Non tangis, si vera latent. perge, optime rerum,
Ambitione relegata, felicibus ausis
Adde Vrbi Italiaeque decus: te vindice sancta
Relligio et patrum stent scita: volentibus unus
Iam populis det jura Parens, unoque regantur
Consilio, voti quae pars est maxima nostri.

SERMO VIII·

DE ITINERE POMPTINO

AD

IOSEPHVM MAROTTVM

SODALEM VETEREM

Rursum visurus magnae miracula Romae
Venerat a patriis bonus oris Sauromatarum
Pyramides, veteris mihi foedere junctus amoris,
Nec minus ingenio et doctrinae laude colendus.
Occupat hic prior, et mecum vi' n, inquit, adire
Praedia, Pomptina surgunt quae culta palude?
Nam me Volscorum priscos invisere campos
Iussa adigunt Regis, majora, minorane fama
Qui benefacta PII de nobis scire laborat.
Hic ego, nil magis in votis erat, et comes, inquam,
Optanti occurris, quo non mihi dulcior alter.
Lux erat, a Majis oritur quae quarta Kalendis;
Primo mane alacres uda, Marotte, Capena
Egressi, Romae dum te studiosa docentem
Miratur pubes, moresque artemque loquendi

Ediscit, tumulos rapientibus esseda mannis
Albanos, quinta vix acta parte diei
Venimus hospitio facilis nos copa volentes
Accepit modico; vafri nam tecta Farolfi
Obstructis foribus dominos odere priores.
Flavia lustramus late praetoria, nosse
Nec tantae nisi parva datur vestigia molis:
Prisca et de genere hoc sunt omnia perque pusilla;
Nec longus quaesisse labor fuit: aurea nam quae
Barbarico luxu splendent nunc tecta domorum,
Et villas nihil et redolentia xysta moramur.
Hinc via se nobis aperit pulcherrima colles
Inter Aricinos porrecta. sacrum hic nemus olim
Et Triviae templum: lacus at pellucidus infra est,
Quo rheda pariter procedimus usque relicta,
Spectatum vitreis Trajana transtra sub undis,
Quae demersa latent, navis, si credere dignum est,
Relliquias magnae. crispans sed molliter undas
Obtutum invidit zephyrus. nos alta viarum
Regredimur, moniti Velitras intrare patentes
Solis ad occasum. urbs alto haec se jactat honore
Thurinum genuisse, novo qui nomine Caesar
Augustus patriaeque pater fuit. obtulit hic se
Bazanus vatum doctissimus, optimus idem

Consilio atque fide: pater hunc Albane senatus
Purpurei columen, Velitras nam ducere tecum,
Magnarumque soles curarum huic credere partem.
Dum tempus vario terimus sermone, Quiritum
Et quae nunc caleant res, poscimur, ultima vel quid
Finibus Hispanis tulerit carruca; paratam
Ad cenam caupo vocat. heus tu pinguis omasi
Vilis et agninae nil praeter fercula promas,
Advertens clamo. sterili meliora negabat
Ille solo nasci. nam spissa consita vite
Arva virent circum: nullis hic grata palumbis
Pascua, nec cicures educit villa volucres.
Submittit caros mare pisces: grandinis imber
Atque notus macros nuper male perdidit hortos.
Haec planus. auriculas placidi demisimus ambo,
Et leve, quod vitare nefas, patientia fecit.
Postera lux oritur multo gratissima, quae nos
Avehat, et cupidos Pomptinum ducat in aequor.
Hinc Vlubrae veteres; procul ajunt inde latere
Ad dextram oppidulum, quod versu dicere non est,
Indiciis facile est: tibi nam genus inde Manuti
Alde fuit, doctus quo Paullus patre creatus.
Volsca dedit tecto sub paupere prandia Sulmo.
Millia dein pransi septem descendimus, agro

Et medio tandem Traponti surgere turres
Miramur propius, pontisque ingentia saxa
Tergemini. censor quem condidit Appius, inde
Vicus erat, parvique manent vestigia portus,
Nec spernenda fori tanta inter rudera imago.
Tramite jam recto patet Appia, totaque primo
Obvia conspectu est. campus discedit utrinque
Ante palus, pinguis nunc fertilis ubere glebae,
Et qua piscis erat, mugit per prata juvencus.
Nam modo qui passim foveis liventibus humor
Stagnabat, putri late tabe omnia foedans,
Depressa tellure viam reperitque fugitque,
Inque Pium prono devolvitur agmine flumen.
Ecce autem medius fossores inter inertes
Ipse aderat multo Rapinus sole perustus,
Instabatque operi: fossam nam ducere mens est
Traponti ad turres. accedimus, ille benigne
Nos salvere prior jubet, ac per devia longum
Monstrat iter comes ingressis. jam fontis origo
Quae sit aquis, terrae jam quae natura subactae,
Edocet: ut gradimur, sata culta boumque labores,
Rivorum et formas, recto qui limite secta
Hortorum ritu disjungunt arva, tuemur;
Visaque Pomptina Tempe nituisse palude.

Mira loci species. hanc et frondentibus alnis
Semita crebra auget, virides deducta per agros.
Trajani spectamus opus, tot strata viarum
Congeriem lapidum immensam, coenoque profundo
Injectas contra torrentia flumina moles,
Post decimum numerat nonus quas ordine cippus.
Sed potius nos alma PII felicibus ausis
Cura capit: cujus via munere pulcrior Appi
Dum teritur, fluvio lymphae rapiente palustres
In mare volvuntur: fervent cultoribus agri,
Purior et caelo meat aura: vehuntur onustis
Ruris opes ultro jam nunc citroque phaselis,
Quidquid et externis importat navita terris.
Interea hesperias sol aureus ibat ad undas:
Digredimur, Syricae linquentes balnea Moesae,
Et quod in adverso contempta lege Gegani
Liberti struxere pyrae sibi more sepulcrum.
Linquitur et serpens undis stagnantibus Vfens
Et sociis Amasenus aquis, qua ponte morantes
Marmoreo ripas Caesar junxisse putatur
Vlpius: at titulos exedit laeva vetustas.
Inde tuum cum fonte aperis, Feronia, templum,
Et modico a dextris famosae vertice Circes
Adsurgunt colles, medio quondam insula ponto

Hospitium Laërtiadae: qua dives in antris
Crescit onyx, speciem templis aucturus et aris.
Nec fluvium propter jam currimus: ora Badini
Ille petit, dextra aversum delatus in aequor,
Et queritur lapsu se longius ire minore.
Tum procul ante oculos saxis candentibus Anxur
Apparet; lato inferius pomoeria flexu
Aucta patent; prima noctis quo venimus hora.
Hic titulos quidam facili me scribere vena
Edixit. cives primo post mane rogatum
Adveniunt, summa in porta quae perlegat hospes,
Pauca velim prisca dictare vocabula forma.
Quae petiere, ultro exegi, sicut meus est mos:
Praesentes laudant. nos hinc discedimus, orto
Vix sole, antiquos ductus invisere aquarum,
Arcis ubi rupes adtollitur, atque patentes
Pomptino surgente solo late adspicit agros.
Iurares nusquam ridere nitentius arva.
Iamque alto ingentes formas in monte cavatas
Cernere erat longo anfractu; nec viribus impar
Visum opus imperii, stabat queis maxima Roma.
At parte ex alia Pharus est: hic lumine nautas
Perpetuo curvi ducebat in ostia portus,
Turris celsa, rogo quondam simulata potentum,

Ingenti in scopulo: quae jam labefacta ruinam
Pars dedit, antiquam servat pars altera formam.
Sed tibi quid memorem curvati brachia portus
Fornicibus sinuata cavis, excisave rupis
Fragmina in adverso? quae quantum surgat in auras,
Saxa notis incisa docent. sicco heu pede portum
Per medium nunc ire licet: tenet omnia limus
Aggestusque lapis, pelagique ruentis arenae.
Condiderat Pius hunc Caesar, PIVS at parat alter
Reddere, et immisso conjungere flumine pontum.
O pater, o praesens nostrûm tutela penatum,
Sic tranquilla fluant tibi tempora, dives et auctas
Annus opes revehat, tantos qui vertis in usus.
Talia dum placido ludentis littore fluctus
Abjecti loquimur, ranae monuere palustres
Dissita sub noctem lentos ad tecta redire.
Pauca tibi haec, memorem quae testarentur amorem,
Anxure dictabam, Misenum excurrere certus,
Quum primum lux alma novos adduceret ortus.

SERMO VIIII.

DE SEPVLCRO SCIPIONVM DETECTO

AD

QVIRITES

Bis qui millenos silui resupinus in annos
Ennius, eversae propter monumenta Capenae,
En iterum jubeor dictis insurgere, priscum
Iampridem oblitus sermonem; cogor et imo
Heu supplex tumuli vocem submittere saxo,
Me quo Scipiadae magni, virtutis amore,
Composuere senem. miseros namque arma feruntur
In manes, patrio et reverentia nulla sepultos
Tutatur busto, quorum tibi sanguine, Roma,
Partum olim imperium est. tutus latet Ennius: at jam
Ne longum faciam, deni, malum? honore sepulcri
Scipiadum de stirpe carent; irrumpere durus
Nec cessat fossor, parvos vexare penates
Certus, et invisis exponere solibus ossa.
Sed tamen augusta lapides ponentur in aula,
Scipiadumque omni nomen celebrabitur aevo.

Dulce quidem decus est, et tot post saecula nomen
Vivere, resque legi nostras. at fama, Quirites,
Quid juvat, aut titulos inscriptos claraque facta
Ire per ora virûm, pulsas dum sedibus umbras
Errare, et nullo sinitis requiescere tecto?
Vicinum o quamvis, te, Calatine, sepulcri
Felicem, tacitus dum celas ossa; tuorum
Non iterum tristi lugebis funere casus.
Nos patria extorres victum repetemus Iberum,
Magna cohors, aut in Libycos remeabimus agros.
Quo pietas, quo prisca fides? vos anne, Quirites,
Romana ne putem seros de matre nepotes?
Atqui nec sceleri stat merces, nulla labori et
Praemia. nam fractae peregrina haud marmora molis,
Graja neque hic lapso latitant sub fornice signa:
Nulla aeris simulacra, auri nec pondus opesve
Conduntur patriae. domus hic est parvula magnis
Vna relicta viris, una integra: adire nec ulli
Non licet, aggestam paullatim demere terram
Si placeat, nostra si durum e sede colonum
Ejecisse, cadis cellam vinoque parantem,
Ingens Scipiadum quo proles conditur antro.
O Pie, tu fausto laetam quando omine Romam
Nunc regis, et veterum tanto fautore resurgunt

Ingenia atque manus: pulcris urbs tota renidet
Molibus, egregias colit artes docta juventus,
Et viget Arcadicus vatum chorus atque Quirini;
Da pater, heroum domus ut, te Principe, tutos
Parva lares servet, tristes et gaudeat urbis
Non omnis casus post tot periisse, beato
Vt tandem renovata PII caput efferat aevo.
Sassius hic vitem qui sevit, quique colono
Exstruxit tectum primus, non recte alieno
Insedere loco. totus nam jure vetusto
Qua molli tumulus clivo nunc turget, avitae
Scipiadum hae sedes: et sacrum relligione
Omne solum: duro nec fas violare ligone,
Aut colere, inque usus unquam vertisse profanos.
Adde, quod haec aevi tibi sunt monumenta prioris,
Qualia non usquam lata lustrantur in urbe.
Rumpe opus ingratum, magalia dejice, nostrae
Solos esse domi, murisque hanc cingier altis,
Imposito custode, jube: postrema tuarum
Non erit haec laudum, vitam famamque sepulcri
Scipiadas debere tibi. an vero irrita cura,
Exiguum aut operae his pretium, primordia Romae
Quos juvat et Latiae novisse elementa loquelae;
Vel quae olim nostro nituerunt carmine facta,

Lucili et musa? quorum damnosa vetustas
Exedit versus, vitaeque invidit honorem.
Nempe auro haec intus potiora et divite gemma
Servantur doctis: externi quidquid acervi est,
Spernite fossores: nudum sine fronte sepulcrum,
Atque virûm simulacra loco submota, nec Enni
Effigiem reperire datur, de millibus unus
Ante cliens, pulcra medius qui sede locatus,
Marmoreus stabam. tumuli sed forma viaeque
Inferius limes manet, et lustrare latebras
Anfractusque licet: non pilis fulta ruinam
Fornicibusque feret specus. hic tuto lare dulcem,
Saecula, nec fallor, vertunt vicesima, somnum
Duximus innocui, priva quisque abditus arca.
Scire libet, primi huc mansum qui venimus? arctam
Ire viam jubeo, et caput explorare sepulcri.
Qui primi fatis cessere, hos ordine primos
Moesta rogi expertes domus intulit, hisque volentes
Dein tumuli apposuit socios, quos proxima leto
Parca dedit Mavorsque ferus: junguntur et illis
Mox alii, propior quo quisque inclaruit aevo.
Hic quondam trabea videas sceptroque potentes
Aut apice insignes: hic ductis clara triumphis
Nomina: res idem titulis in marmore gestas

Inscriptis relegens, priscos mirabere versus,
Et puri voces sermonis et aurea dicta:
Sed magis antiquos mores laudesque virorum,
Queis stetit imperium, populis et jura subactis
Roma dedit, proavos nunc Roma oblita ducesque,
Maxima queis omnes inter caput extulit urbes.
At Batavi et nostro divisus ab orbe Britannus,
Quique procul gelidam propior sophus adspicit arcton,
Vrbem quum visent, nostri monumenta sepulcri
Prima oculis cupidi lustrare, haec antra subibunt
Laeti cum facibus, tumulis atque oscula figent.
Ennius haec spondet Romani carminis auctor,
Ennius ille pater, prisci quo cive Quirites
Laetati, vos o pacem, qui vivitis, orat.

SERMO X·

DE SOCIETATE IESV NEAPOLI REDINTEGRATA

AD

M· CALVENTIVM

Qui fit, Calventi, boreae de parte nivali
Corvorum adveniat paullatim ut turma, diu quae
Invisa Italiae fuerat? nam nomine signant
Ignati hoc sobolem Patris, quicumque tuorum
In numero censes. non omnis concidit ergo,
Quam periisse manum laeti jactastis inepte;
Et verax olim quod vates scripserat, uno
Dium ob consilium subtemine tota pependit?
Interea accitis renovata sodalibus amplam
Implet Parthenopen acies, et crescit eundo.
Quid faciunt reges, inimicis agmina signis
Alturi populos inter pacataque regna?
Num sibi tuta domi spondent regalia jura,
Nec solio metuunt, nec caris funera natis?
Quid Pivs, insomnes solitus qui ducere noctes
Pro sacris urbis, pro relligione laborans,

Cur genus infestum propius subrepere passus,
Non Malabaris castus ritumve Sinensem
Induci sentit, corvos si mulcet hiantes,
Nec cavet ingenium, veterem nec dispicit astum?
O mercatores, periere negotia vestra,
Si genus hoc hominum late sibi pristina regna
Vindicat imperiumque maris. nam millia nummûm
Bis centena cadis oneratus linter aceti
Rettulit, ut fama est, dominis. quid navis ab Indo
Adferet, aut America ingens quae solvat ab ora?
Mitte, inquis, nugari: et si quid forte tulistis
Invidiae, si damna insontes atque rapinas,
Admonitu Paulli, depellant gaudia curas.
Egregie: sed virtutem qui jure requiris,
Cur non ipse tuos tantundem fautor amicos
Haec doceas? cur librorum mala pestis inhaeret,
Nondum et sacrilegas incendia bibliothecas
Sustulerunt, scriptis quae concrevere malorum
Vndique submissis? livor num mente repostus
Durat adhuc, animique obsistit prava voluntas?
Atqui post casus tantos expleta diesque
Tot rabies malesana, feri vel debuit hostis
Esse furor. miseros extremi finibus orbis
Avulsos vidisse parum, oceanique per aequor

Errantes fuit? anne alios tellure repente
Extorres patria, angustas sibi quaerere sedes
Hospitiumque, oculis parvi spectacula ludi
Hoc erat, ereptis, alitur queis vita, bonis, et
Sustentatae hominum vigilant in corpore mentes?
Nempe erat in votis nusquam vos esse: datumque
Quod cupide optastis: nisi quod pars excidit una
Votorum; et facti dux femina, solaque vestros
Conatus lusit, genus et servavit amicum.
Sed modo detectis tot fraudibus, omnia passim
Dum fulgent splendore suo; qui judice verum
Detrectare velit populo, inflexusque tueri
Quae nemo admittat, non hunc amentibus addas?
Dic, sodes, tecum qui sentiat unus et alter
Excipe, quid reliqui? quos laedere quisque volebat,
Nonnè vides quanto civis suscepit honore
Obvius, et reduces antiqua in sede locavit?
Fama ollis manet inconcussa: ingentia nullo
Crimina jactantur plausu: depulsus et error
Multorum, impositum virtus abjecit amictum,
Atque bonis nitet in propriis. exordia verum
A senibus quid portendunt? armenta velut qui
Crescere post longos jubeant effoeta labores.
Si spes affulget nulla hinc, certe in mala cedet

Nostra hoc; tuque lucro, si vis, appone tuorum.
Sed quae consilio pendent ac mente reguntur
Et sapientis ope, haud haec quisquam indigna putabit,
Quae senis arbitrio currant, sensuque probentur.
Nonne etiam seniore cohors duce primitus ista
Exstitit, et senibus condicta in jura vocatis
Aucta brevi terras implevit? numine quippe
Haec fiunt, his et senibus, quos temnis, eodem
Iam data, quam sancte instituant, soboles nova, seri
Nec deerunt opus in magnum sine fine nepotes:
Esseni quales longum duravit in aevum
Gens pia conjugiis sine. quid nostrum invidus odit
Augurium livor tuus hic, perversaque mentis
Nunc acies? pandam invitis oracula vates
Quae quondam cecinere: aetas cui tertia nomen,
Hanc fore, quae magnis claresceret optima factis,
Et primas meritis laudes superaret avorum.
Si Deus aptare malis caelestia nostris,
Et fessis solet heroas submittere rebus;
Materies heu quanta subest ingentibus ausis!
Cerne oculis, nostro quae tempore turba malorum
Incubuit terris? quantum patet horrida ubique
Illuvies vitiorum? omnis maculata juventus,
Nec tamen e coeno cupiens evellere plantam.

Natorum nulla est quae tangat cura parentes,
Nullus cogit amor mores servare pudicos,
Tutarique domi castum sine crimine pectus.
Femineum ne genus mittam, exutumque pudorem
Et miseras luxu captas redeunte puellas,
Qui quondam scena indignus fuit atque theatro,
Explosa meretrice, pares quae inducere cultus
Ausa, in conspectum populi prodivit honesti.
O pueri, nostrûm vos cura decusque laborum
Vsque eritis: pura insontes vos vivere vita
Hoc cordi est: quos namque Deus mage poscit amatque,
Dum nullum mentem foedat vitium, omnia pulcro
Dum splendore nitent? addet doctrina decorum,
Addent praeceptis aptae felicibus artes.
Sed neque longaevos fas est dimittere, pleno
Quos furor infernos dudum rapit agmine ad ignes:
Nam nova, doctrinae vitio temerata, frequentes
Relligio infecit trepidae prope limina mortis,
Immemores, quo sint dicturi judice caussam,
Quae sontes maneant poenae. mortalibus unus
Iam multis color est, ratio par formaque vitae.
Hoc opus, hic labor est nobis sociisque paratus,
Posteritas quos sufficiet, revocemus avorum
Vt mores studiumque pium, reddamus honorem

Virtuti, stet Relligio Romana, sacrisque
Legibus usque decus. cadere auspice cuncta necesse est
Atque auctore Deo: haud fallor, mutabitur aevum
In melius, ventura novo gens aurea saeclo.
Nam fuit auctori haec nostro mens, legibus hoc est
Quod dictis unum spectavit, totus amore
Cui flagrans animus, cunctis mortalibus ortus,
Optabat prodesse orbi vel sanguine, vimque
Imperiumque Erebi servato perdere regno.
At non ille brevi conclusa putaverat aevo
Quae sibi, quae sociis tot contra protinus hostes
Perficienda forent. mediis mansura periclis
Agmina cogebat, venturis quae bona saeclis
Perstarent, vitiis indicto acerrima bello
Tartareisque Erebi praedam ereptura catervis.
Ergo animis inscripta manent praecepta magistri,
Sunt haec prisca domi studia, atque haec vota piorum,
Hoc matutini petimus multa prece, sacrum
Ante aras quoties facimus sollemne sodales,
Non Indos, boreae non ultima regna, nec atros
Obliti Mauros, silvis nec qui maris ultra
Occiduos fluctus habitant, et more ferarum
Corporibus caesorum inhiant et sanguine vivunt.
Illuc ire jubet, sociis patriaque relicta,

Praesidis una virum si vox, obstrictus abibit
Relligione, maris contemptor, et ardua quaeque
Proteret invictus. veterum sic jussa parentum
Sancta docent fessis hominum succurrere rebus:
Iussa olim, proles, saeclo laudata priore,
Sedula quae, nobis exemplar nobile, fecit.
Haec tecum volvas, Calventi, animoque sereno
Pacatus recolas. paullatim pectore cedet
Ille tuo durus veri contemptus et aequi,
Illa adversa bonis, mutata mente, voluntas,
Quosque minus noras, veris laetabere amicis.

AVCTORITATES CENSORVM

Sermones Steph. Antonii Morcelli V. C. quos P. R. Magister S. P. A. mihi expendendos misit, legi qua par erat diligentia; atque in iis cum nihil deprehendi, quod aut religionis sanctitati aut morum probitati officere visum sit, tum vero tam multa de bonarum artium studiis ac de morali philosophia elegantissimis versibus pertractata sum demiratus, ut aurei hujus libelli lectionem et litteris et moribus plurimum profuturam censeam.

Ex aedibus Coll. Rom. pridie idus Mart. anno M.DCC.LXXXIIII.

Iosephus Marottus Rhetor publ.
Coll. Rom. et Profess. Ling. Graec.

Steph. Antonii Morcelli Sermonum libros ii. legi diligenter. versus elegantes et venusti sunt, urbanamque illam sine molestia festivitatem saporemque vernaculum, qualem in Horatio tantopere suspicimus, toti redolent. sunt illi quidem, hujus ipsius, quem dixi, Horatii exemplo, verbis inornatis planeque vulgaribus ac quotidianis contexti, solutaeque orationi, quam carminibus propiores; sed iidem tamen, quod incompti, quod inconcinni sunt, arte et judicio sunt, et ut illa apud poëtam, pulcriores hoc ipso, quod nihil adest adjumenti ad pulcritudinem. de sententiis ita censeo, videri eas plerasque ex media philosophia veterumque magistrorum fontibus haustas esse, atque ad mores conformandos tradendamque virtutem perquam idoneas: cui rei, vel quum a praeceptis disceditur, cetera etiam scriptoris elegantioris ne, an melioris? prudens beneque morata mirifice meo quidem animo conducit oratio.

Romae viiii. Kal. Apr. anno m.dcc.lxxxiiiI.

Vitus Maria Giovenazzius.

ELENCHOS

LIBRI PRIMI

LIBRI SECVNDI

Quod Decembribus orsus a Kalendis
Struxit tesserulis opus minutis,
Opus perpetuo lepore comptum;
Hoc se Persius edidisse major
Ante idus ait: orbe Pax quieto,
Iam fruges revehens opesque, magni
Dum PII decimum notabat annum.

At prelo auctior ecce Brixiano
Prodit nunc iterum libellus, aevo
Nec fausto minus, et magis beato,
Quod nobis potior dies refulsit
Pacis perpetuae, dies aventi
Laetus Ausoniae, bonisque felix
Quot sunt omnibus, auspice, ut petebant,
Ipso CAESARE, CAESARISQVE Fratre,
Queis divinitus est datum tueri
Concordis populi recepta regna.

INDICES

RERVM VERBORVMQVE QVAERENDORVM CAVSSA

A

B

C

D

E

F

N

O

P

T

V

123

40
83

58

50